
Epist.
257

8
557
Erasmus 2

B. L. 5032.

B. L. lat. pag. 353.

Epist 257

EPISTOLAE FAMILIARES

DES. ERASMI ROTERODAMI

AD

BONIF. AMERBACHIVM,

I. V. D. ac Prof. Basil.

cum nonnullis aliis ad Erasmum spectantibus.

Omnia, testamento excepto, nunc primum edita ex MSS. originalibus in Bibliotheca publica Academiae Basiliensis seruatis.

BASILIAE.
Sumtibus CAR. AUG. SERINI, Bibliopolae.
MDCCLXXIX.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

EDITOR

LECTORI SALVTEM.

Annos abhinc quinque venerabilis ecclesiae Basilienſis Antistes, *Emanuel Merian*, in conclaui S. Templi praeter alia complures epistolas ipsa *Des. Erasmi Rot.* manu exaratas, singulas ad *Bonifacium Amerbachium*, Iureconsultum Basilienſem, datas, bona fortuna inuenit, easque ab interitu vindicatas ac eleganter compactas, Bibliothecae publicae Academiae Basilienſis inseruit. Cum autem non sine causa fuerit existimatum, harum epistolarum editionem erudito orbi haud ingratam esse futuram,

eam ſtudioſe curauimus, iſtiſque epiſtolis nonnulla alia ad Eraſmum ſpectantia, quae eadem Bibliotheca academica ſuppeditauit, in commodum, vt quidem putamus, reipublicae litterariae partim praefiximus, partim ſubiecimus: nempe: *diploma gradus Doctoris Theologiae Eraſmo collati; duas bullas pontificias eidem conceſſas, nec non teſtamentum ab ipſo compoſitum;* quae ſingula, ſi teſtamentum, rarius quidem obuium, excipias, hactenus edita non fuerunt. Vale.

Baſiliae d. 7. *Oct.* 1778.

DIPLOMA

I.

DIPLOMA

DE GRADV DOCTORIS THEOLOGIAE DES. ERASMO ROT. COLLATO.

Baldesar de Berneciis Dei et apostolice sedis gratia Archiepiscopus Laudicensis suffraganeusque et locumtenens ac vicarius generalis reuerendissimi in Christo patris et domini domini Johannis Ludouici Ruuere eadem gratia episcopi Taurinensis et in hac parte alme vniuersitatis studii Taurinensis vicecanzellarius ab eodem reuerendissimo domino episcopo Taurinensi prefate vniuersitatis canzellario specialiter deputatus venerando viro domino Erasmo Roterodamo ordinis Sti Augustini conuentus vulgo dicti de Steyn in diocesi Tra-

iectenſi in Hollandia, ſalutem in eo qui omnium eſt vera ſalus. Dignum et congruum arbitramur vt pro vniuerſis iuſtis laboribus condigna meritorum premia tribuantur illis preſertim viris qui dificilibus curis & laboribus inſudarunt, et precipue ſciencie ſacre theologie per quam verum a falſo diſcernitur et ſalus acquiritur animarum, cum itaque venerandus vir ſacre theologie magiſter dominus Frater Iacobinus de Prato ordinis minorum vocatus tanquam veſter promotor vos dominum Eraſmum veluti ſufficientem et in dicta ſacre theologie facultate bachalarium bene meritum hodie coram nobis et venerando domino fratre Bernardino de Pirro ſacre theologie magiſtro ordinis predicatorum dicte alme Vniuerſitatis decano et aliis dominis doctoribus de collegio preſentauerit. Noſque cum prefatis dominis decano ac aliis doctoribus dicti collegii preſentacionem huiuſmodi de vobis factam ſolemniter duximus admittendam, et quia in eadem ſacre theologie facultate idoneum vos reperimus ac ſufficientem ſtantibus

responsionibus per vos datis argumentis et questionibus vobis factis et prout a prefatis dominis decano et ceteris patribus doctoribus et magistris de dicto collegio in premissis deputatis in ipsa facultate repertus fuistis sufficiens et idoneus ad obtinendum licenciatus nec non doctoratus et magisterii gradum in predicta sacre theologie facultate, Nos igitur Baldesar Archiepiscopus et vicecanzellarius antedictus volentes premium virtutum & laborum vestrorum fructum quem possumus vobis reddere gratiosum, vos tamquam dignum sufficientem et bene meritum in prefata sacre theologie facultate pronunciauimus et pronunciamus harum serie publice licenciatum auctoritate qua fongimur in hac parte, vobis eadem auctoritate dantes et concedentes auctoritatem et facultatem in prefata sacre theologie facultate de cetero legendi disputandi glosandi et interpretandi, nec non doctoratus et magisterii gradum in eadem sacre theologie facultate quandocunque volueritis petendi recipiendi et obtinendi in hac tamen Vniuersitate et sub vestro

iam dicto promotore, verum quia prenominatus dominus frater Iacobinus de Prato promotor veſter de mandato noſtro nec non de conſilio et aſſenſu predicti domini decani et aliorum dominorum patrum et dominorum de dicto collegio in aula epiſcopali Taurinenſi exiſtencium in ſignum gradus celſioris ac doctoratus et magiſterii in prefate ſacre theologie facultate conſecuti cathedram magiſtralem vt moris eſt aſſignauit, librum clauſum pariter et apertum traddidit Birretum capiti veſtro impoſuit, cum oſculo pacis et benedictione paterna in ſignum gradus et magiſterii per vos hodie benemeriti et obtenti, in quorum teſtimonium preſentes literas noſtras vim publici inſtrumenti in ſe continentes per egregium epiſcopalem Taurinenſem ſecretarium ſubſignatum ſubſcribi iuſſimus, et ſigilli prefati reuerendiſſimi domini cancellarii apenſione communiri et vobis concedi, Actas et datas in aula pallacii epiſcopalis Taurinenſis in qua ſimilia fieri conſueuerunt die veneris quarta menſis ſeptembris anno a natiuitate Domini cur-

rente milleſimo quingenteſimo ſexto, indicione nona, preſentibus ibidem venerando domino Iohanne Porcelli, capellano noſtro et nobili viro domino Michaële Gaglardi dicte alme vniuerſitatis bidello. Teſtibus ad premiſſa vocatis et rogatis.

Pertachia.

(L. S.)

II.

EPISTOLAE FAMILIARES

D. ERASMI ROT.

ad

BONIF. AMERBACHIVM,

I. V. D. ac Prof. Baſil.

Epiſt. I.

Auguſtus Furnio S. D.

Numquam tu deſines rhetoricari. Itane viues ac morieris ingratus, qui me tot officiis oneraris, vt nullus aſinus poſſit eſſe onuſtior. Ego vero magno emtum

cuperem, ſi mihi contingeret talis hoſpes menſes aliquot; tantum abeſt, vt pro delato hoſpitio poſtulem vllam gratiam. Gratum eſt, quod locum indicaris. De Laſco ob id volebam ſcire Beatum, ne miretur, quod nihil ſcribat mittatue. Audio vos denuo inuitari ad menſam Oecolampadianam, Euangelicam hoſpitalitatem. Rogo vt ſchedam his incluſam cures quamprimum per famulum tuum reddendam Hieronymo Frobenio. Si tu prior praeſtiteris, quod ab illo peto, rem gratam feceris. Bene vale cum tibi chariſſimis.

Epiſt. II.

S. Colloquium huius medici fuit mihi magnopere iucundum. Videtur enim iuuenis ſingulari modeſtia bonoque iudicio praeditus. Si veneris, erit pergratum, modo id fiat ſine tuo incommodo. Molimur hinc abitum, ſi qua detur. Sed omnia coram. Si moleſtum non eſſet, cuperem videre claues a Lutero tractatas, modo id fecerit latine. Bene vale. prid. paraſceues.

Cetera noſti.

Epist. III.

Erasmus Bonifacio suo S. D. Quod hactenus ad te non scripserim, non meae imputas inhumanitati, quae tua, mi Bonifaci, est humanitas, sat scio, sed laboribus prorsum immodicis, et tibi non omnino incognitis. Amo et te, et totum hoc Amerbachiorum nomen. De te summam spem concepi, ex tuis literis, vel Politianum, vel Zasium illum alterum Politianum referentibus. Perge gnauiter, qua coepisti, gratissimam patriam sanctissimis moribus, et optimis disciplinis illustrare. Nos hoc iam ad iter accincti scripsimus. Argutissimis Zasii mei litteris respondere non vacabat. Vbi dabitur otium, vel libris hominem prouocabo. Solus Germanorum mihi videtur loqui. Bene vale. Basileae.

Epist. IV.

S. p. Orta est hic nobis noua Comoediola, quum hactenus Luscinius constanter et scripserit et dixerit, se institutum

fuiſſe a Ioanne Willingero et eius haeredibus in totam hanc domum, adeo vt illi non liceat cuiquam cedere ius ſuum, et ego, quum Tribunus ageret de locando, ſemper exceperim domum liberam, ne precium quidem pactionis receperim, nunc Vdalrichus Tribunus petit pretium pro quindecim menſibus retroactis, oſtenditque litteras procuratoris Ioannis Leblin, Theſaurarii regis Ferdinandi, quibus admoneri iubeor, vt migrem ad feſtum Ioannis proximum. Ita bis debeo, Luſcinio magnam gratiam, quod eius clementi permiſſu hactenus vſus ſim aliqua domus parte, Tribuno locatori triginta florenos, quum plus quam octo Coronatos antea derim liberaliter abſque pacto. Quum Glareanus diceret, non eſſe praeſtitam conditionem, quam exceperam, Trib. reſpondit: Poteſt agere cum Luſcinio. Quaſi ob aliud exceperim domum liberam, quam vt ne agerem cum Luſcinio. Et Luſcinius non ſemel praedicauit, ſe colloquutum cum Tribuno, eumque aliud ipſi dixiſſe, quam dixerat mihi. Rem ſcripſi

Tribuno, & addidi epiſtolam Luſcinii manu ſcriptam, in qua ter vindicat ſibi ius in hanc domum totam. Tribunus nondum reſpondit; cuius cuniculis haec agantur, neſcio. Furioſus Eccius, imo terque quaterque rabioſus, multis nobilibus perſuaſit, Eraſmum eſſe ſummum Haereticum. Caeſar colligit ab omnibus Principibus Chirographa, qui velint adeſſe reſtituendae Eccleſiae. Videtur illud vereri, ne poſt excuſſos Monachos et ſacerdotes tandem excutiantur et ipſi. Quid futurum ſit, neſcio. Ego aliò cogito, ſed nondum ſtatui, quò. Si tibi commodum eſſet exſpatiari feriis paſchalibus, conferemus quaedam, quae nolo litteris committere. Bene vale. Friburgi 8. Cal. Apriles.

Eraſmus tuus.

Epiſt. V.

Quid ais, Bonifaci chariſſime? An me non ſollicitum habeat melior animae meae pars? Quam inaeſtimabilem theſaurum amitterem, ſi quid ſecus accideret!

Hic video omnes minime ſollicitos, at ego non poſſum omnem curam ponere, dum haec exordia mecum reputo. Tua Pallas ſuggeret animo tuo, quod maxime erit in rem tuam. Hieronymus Frobenius habet in manibus pecuniae meae in auro 198. Coronatos ſolatos, et XI. Coronatos in teſtonibus, cum 40. Cruciatis. Opinor te nauigio peruenturum Neapolim. Reliquum iter tutum eſt. Gratum eſſet, ſi eam pecuniam tecum adferas. Neſcio quid Hieronymo bellatori perferoci poſſit accidere. A quo officio ſi quid eſt cur abhorreas, malim tamen eam pecuniam vel apud te vel apud ſocerum tuum eſſe. Bene vale cum fratre Baſilio et vxore. Quidquid a me praeſtari poterit, ſcito tibi paratiſſimum eſſe.

Gaudeo te nondum exiſſe. Nam hoc indicarat quidam agi. Scripſi Hieronymo de pecunia. Si verbo monueris, dabit.

Eraſmus vere tuus.

Epist. VI.

S. Si fas esset hoc agere die festo, testamentum descriptum est. Si Notarius erit praesto, ceteros facile colligam. Ad horam secundam, aut mox post quartam. Non est properandum. Sed nunc vtcumque valeo, quomodo valiturus sim, nescio. Vale.

Epist. VII.

S. p. De puero res nullius est momenti, nec erat locus de damno faciendae mentionis. Ille nihil petiit. Quod datum est, vltro meo iussu datum est, et recte datum est.

De Alcinoi Apologo diuinatio est, cui non est tutum fidere. Pro amica consolatione gratiam habeo, quamquam tu νεκρὸν θεραπεύεις. Mors Archiepiscopi πρόφασις ἔξιν, alia sunt quae pectus vrgeant.

Cogito de renouando testamento. Si is, quem prius haeredem instituí, non abhorret ab onere, non mutabitur. Sic tracta-

bo rem, vt longe minus habeat negotii, et plus commodi. Nam de excudendis libris poſt fatum meum prorſus abiiciam. Quid igitur ille habeat animi, ſcire cupio per te. Bene vale cum omnibus tibi charis. 15. Januarii.

Eraſmus Rot.

Epiſt. VIII.

S. p. Si legiſti naenias Eccleſiaſtarum Argentinenſium, velim annotes, vbi maxime mentiuntur. Nam mihi pleraque ſunt ignota, praeſertim quae geſta ſunt Tiguri, aut Bernae, aut apud S. Gallum. Nam iſte aſſeuerat, nihil vſquam factum per tumultum. Reſpondi obiter, niſi quod in codice meo finis abeſt, quod illi fortaſſe ſtudio fecerunt, quod illic Nouimagus more ſcorpionum in cauda geſtarit venenum. Non ſum editurus, ſed mittam aliquot amicis in aulam, vt agnoſcant, quales ſint artifices. Nolim tamen iſtis ſubolere, quod ipſorum naenias vel lectione ſim dignatus. Auguſtae rumorem ſpar-

ferunt, eum librum tam male habuisse, vt in phrenesin versus perierim. Nec dubito, quin Epphendorpius per subornatos hoc sparserit. Scripsit Carlewicius, illum 20. dies ambisse colloquium cum Duce, nec datum responsum. Non dubito quin aliquid moliatur summo ingenio instructus a Nouimago. Caesar misit diploma satis instructum de condendo testamento, non obstantibus quibuscumque.

Epist. IX.

S. p. Nisi mihi perspecta esset tua singularis prudentia, monerem, vt temperares linguae tuae libertatem, si modo loqueris isthic, vt mihi scribis. Nondum apparet, quo res sit inclinatura. Nonnulla spes affulget non quidem pacis, sed excludendi belli. Eccius Augustae facinus se dignum designauit, de quo aliàs. Opto te cum tuis quam optime valere. Melchioris nomen pro Meltingero Quirinus meus suppositit, qui sapit quidem, sed non omnibus horis. Expecto quid placeat libel-

lus meus. Etiam atque etiam vale. Mitto exemplar litterarum rurſus ad Alciatum, quod intelligam, ſuperiores illi non fuiſſe redditas. Rogo cures vt accipiat.

Agnoſcis tuum.

Epiſt. X.

S. p. Si parum probas conſilium meum nihil miror; non enim electum eſt, ſed adactum. Decreueram ſilentio deuorare ganeonis otioſi improbitatem; ſed ille nullum facit finem, nec pudet quidquam. Vt primum venit Auguſtam, expetiit colloquium cum Duce Georgio. Dux per internuntium reſpondit, ſe deliberaturum; poſt multos dies rediit, idem poſtulans; Dux reſpondit, ſe dediſſe negotium Simoni Piſtorio, vt illum audiret, ſi quid haberet. Reſpondit Epphendorpius cum ſtomacho, ſibi nihil eſſe negotii cum Piſtorio, velle conuentum Ducem, apud quem eſſet falſo delatus, moxque diſceſſit indignabundus. Itaque quieuit, donec Piſtorius et Carlewicus ob negotia redirent in pa-

triam. Cum rurſus inſtaret, Dux dedit negotium Iulio Pflug, vt audiret querelam Epph. Huic, quoniam totam cauſſam ignorabat, expleuit ambas aures vaniſſimis fabulis, adeo vt Dux veluti ſtudioſus meae quietis ſcripſerit, vt Iulii litteris haberem fidem. Scripſit ipſe Iulius epiſtolam eruditam et amicam, ſed quae teſtetur, ipſum ab Epph. nihil audiſſe niſi mera mendacia. Miſit ſimul exemplar praefationis a me promiſſae, addens, ſi eam agnoſcerem, Duci videri conſultum, vt dicato libello redimam mihi otium. Dux petiit, vt quamprimum reſponderem, quum ipſe iam pararet abitum. Nam Cochleius vetuit, ne ad ipſum mitterem Auguſtam, quod poſt triduum crederet abiturum Principem. Reſpondi per praefectum Briſacenſem, necdum habeo reſponſum. Haec data opera artifex procurauit ſub abitum Principum, ne ſpatium eſſet reſpondendi. Inſinuauit ſe in familiaritatem quorumdam meorum, expiſcaturus, ſi quid de ipſo. Vidit litteras, quas ſcripſeram Ioanni Fabro. Vidit quas

Henkello, tametsi in his nihil de Epphendorpio. Nec dubito, quin idem fecerit apud alios multos. Primo illius aduentu sparsus erat rumor, me sic offensum libro Argentinensium, vt inciderim in phrenesim, et ea perierim; nec dubito, quin id illius arte sit sparsum. Post apud multos praedicauit, me Basileae coram magistratu flexis genibus ab ipso petisse veniam. Hunc itaque libellum curaui excudendum, in quo tamen nullo verbo laeditur Epph. Sed post cognitam veritatem intelligent, qui illum audierunt, aut illius legerunt litteras, quanta sit hominis vanitas. Bene vale. Friburgi. Prid. vigiliae Simonis et Iudae.

Epist. XI.

S. p. Vereor, mi Bonifaci, ne ista quae narras, quamlibet τραγικα, nihil aliud quam praeludia sint τραγικοτέρων. Et vndique sese ostendunt eiusmodi tumultuum minae, vt nesciam, quid tibi consulere debeam. Pontifex quid non persuasurus est

Caesari

Caesari post beatissimorum pedum oscula? Nec difficile est diuinare, quos spiritus cum suis habeat ille sanctissimus. Apud Brabantos plane regnant πτωχοτύραννοι, clam fremente populo. In Anglia res sunt turbatissimae, non solum ob Cardinalem deiectum, verum etiam ob dissidium Regis et Reginae. Cardinalis Campegius reliquit Angliam, nullo alio responso edito, quam: Res magna est, amplius deliberandum censeo; quum in hoc esset accitus, vt negotium expediret. Atqui ne diceretur nihil egisse, satis magnam auri vim extulerat Caletium, sed intercepta est praeda, non dubito quin conniuente Rege. Sed hanc Iliadem ex Dilfo cognosces. Comes Palatinus, suppetias ferente Lantgrauio Hessiae, velitatur aduersus Cardinalem Moguntinensem. Quin et Turcam hic metuimus irritatum. Interim Caesar indulget osculis et pompis Italicis, non sine maximis impendiis. Rubra crux rursus erecta est apud Brabantos aduersus Turcam. Monachi pingunt Turcicae crudelit. exempla, ac vociferantur strenue,

ſed nemo dat obolum. Nos hic in oppidulo nec tuto, et vndique cincto hoſtibus, quos non paucos habet etiam intus, velut inter ſacrum et ſaxum ſedemus, omnia Deo committentes. Tu tuum ipſius animum inprimis conſules, an expediat vel nunc ſolum vertere. Opinor, non male ceſſurum, quod ſoceri conſilio ſuſceperis. Multi demirabantur, in tali rerum ſtatu iſthic reſidere; ego certe mirabar, ſalariolum et iſtorum pollicita tantum apud te valuiſſe. Harum aedium domina nupſit marito, qui nec emtorem vult, nec conductorem. Dicitur huc breui commigraturus. Mihi demigrandum erit. Brabanticae Tragoediae Cataſtrophen audire malo, quam ſpectare. Interdum cogito Patauium, ſed negant, in Italiam vlli iter eſſe tutum, ob ruſticos inſidiantes militibus a Venetis dimiſſis.

Vellem te cogitare de negotio Regis Angliae, non quod illi me velim admiſcere, quod Cardinalis Campegius non eſt auſus. Probabile eſt, ingentem caedem orituram

in Anglia, nisi exstiterit certus heros. Contra durum est, Reginam, quae illi tot annos conuixit, toties abortiit, tandem filiam elegantissimam dedit, repudiari; et tamen ex hacce negant esse spem prolis, medicorum vt opinor iudicio.

Quod duxit a fratre relictam, non repugnat iuri diuino, et intercessit Pontificis diploma. At Rex apud populum testatus est, se numquam habuisse rem cum illa animo maritali. Illud verum est, adhuc sub tutoribus agens vehementer reluctatus est, ne duceret hanc vxorem. Sed quum a tutoribus varius iniiceretur metus, etiam ne regno excuteretur, et excussus, vt ibi mos est, occideretur, duxit, sed vt satis indicaret, se non ex animo ducere. Quod si abstinuisset ab illa, et amoto metu declarasset animum suum mature, tale quiddam esset, quale fecit Lodouicus 12. Rex Galliarum. Quidam consulunt, vt filia nubat alicui magnati, ex eo coniugio natus succedat in regnum. Sed praeterquam, quod incertum est, an ea res exclusura

fit ſeditionem, obſtat illud quoque, quod Rex apud populum profeſſus eſt, ſe numquam cum ea congreſſum animo coniugis, quae vox illam facit notham. Tantum ſupereſt, an res, etiam ſi fuit verum coniugium, ſit diſpenſabilis, ob publicam tranquillitatem. Si paras migrationem, quo maturius id feceris, hoc meo iudicio feceris tutius. Bene vale, amice incomparabilis. Friburgi. 17. Cal. Febr. vxori et fratri ſ. p.

Eraſmus Rot. tuus.

Mitto libellum de remediis ſudatoriae peſtis. Apud Brabantos ſubinde incendunt aliquot, quo ſimul et haereſes purgent et aërem. Nam eo ſuffitu putant repurgari coelum.

Epiſt. XII.

S. Quid ſcripſeris ſuperioribus menſibus, non memini, niſi ceu per ſomnum. Illud certe gaudeo, patriam agnoſcere, quem habeat theſaurum, teque ſic a diuerſis ciuitatibus ambiri, quamquam, vt

tuum ingenium habeo perſpectum, non relinques patriam. Tua tamen Minerua tibi ſuggeret felix conſilium. Ego precabor, vt quidquid decreueris, tibi tuiſque bene vertat. Quid oneris habeat συνδικία, neſcio, aut quid adferat ſalarii. Tuo genio conuenit munus, quod amplo cenſu quam minimum habeat moleſtiarum. Mature ſtatues, nam pendere miſerum eſt.

Hieronymus tibi dedit verba. Scripſeram illi, me Sabbato ante dies octo coepiſſe reſpirare, nimirum coelo mitiore, ſed nocte conſequuta turbinem obortum mihi reuocaſſe totum malum. Nunc triduo commodius habeo, ſed non auſim mihi placere, quando vna nox ſubito renouat omnem Tragoediam.

Rogo ſignifices, quid debeam Pharmacopolae. Opus eſt frequenter opera amicorum, pecunia nondum eſt opus. Si non pateris me ſoluere, fiet, vt non auſim tibi quidquam poſthac committere.

Deſunt mihi calami ſcriptorii. Si tibi

ſupereſt vnus aut alter, mitte; habeo duos ex tuo dono, ſed nimium graciles.

Quod meus es, aç meus eſſe cupis, Vir egregie, iſthuc, mihi crede, facis mutuum. Ego Bonifacium amicum in magna felicitatis parte duco. Vale cum tibi chariſſimis. Baſilio germano ſalutem plurimam. 8. die Februarii.

Eraſmus Rot. tuus.

Epiſt. XIII.

S. p. Nos hic iam dudum licitamur aedes boni nominis, ſed iniqui pretii. Hodie aut ero dominus, aut nunquam. Eas tibi licitor, magis quam mihi. Si quem putas fore, qui petat Sadoletum, fac ſignifices. Simulque fac ſciam, quam dextro Mercurio cauſſam egeris tuam. Bene vale cum tibi chariſſimis. Friburgi. 6. Cal. Julias.

Agnoſcis tuum.

Epist. XIV.

S. p. Vide domum soceri tui; nam summarium absolui potest intra biduum duntaxat, quod ad vsum attinet. Nihil statuam certo, nisi te huc reuerso. Si maneo apud socerum, curabitur ne quid habeat ex me molestiae. Prandebo cum meis, et nihil non faciam meo sumtu. Bene vale.

Epist. XV.

Huic fasciculo obducito tunicam, obsignato funiculo, sed ita ne quid perfores ob syngraphas inclusas. Intus adde tantum haec verba: Faceres mihi rem valde gratam, si curaris quod his litteris petitur, quas his inclusimus. Reliqua lege solus; Nam non expedit alium quemquam esse conscium.

Epist. XVI.

S. p. Iacobus Sadoletus in suis ad me litteris queritur, raras abs te meque venire litteras. Ait se legisse omnia, quae Pius

in me ſcripſit. Oro, vt ſi detur oportunitas, cures meam epiſtolam ad illum perferendam, ſimul mittas, ſi poteris, libellos quorum altero reſpondi Pio, altero Theologicae facultati. Ego venabor occaſionem, eoſdem ad illum mittendi, ſi qua forte ad illum perueniant. Id enim ille petit ſuis litteris. Vereor ne Caeſar moueat nobis aliquid nouae tragoediae. Bene vale. 4. Cal. Martias.

Epiſt. XVII.

S. p. Me multis iam diebus rumpit ſceleratiſſima tuſſis, nec poteſt deſinere. Vt leuiſſimum illum Turbunum magnus perdat Iupiter, qui me in has turbas coniecit. Ipſe decubuit calculo vſque ad extremum vitae periculum, ſed reuiuiſcit.

Pro ſaxis fumarii petit octodecim libras baſilienſes. At ego audiui illum Theologo dicentem: Non magno conſtabunt, quatuor aut quinque florenis. Magiſter artium.

Si huc eſſes tranſmigraturus, non foret

incommodum quod offero. Sed eius rei non video magnam ſpem; quare conſilium aliud quaeretur, ſi tu repudias, quod proximis obtuli litteris.

Iucundum erit, ſi cognouero, te cum tibi charis recte valere. Baſilio ſalutem plurimam.

Epiſt. XVIII.

S. p. Si quid nactus es de Alcinoi apologo, quaeſo vt per hunc ſignifices. Aut ſi quid aliud eſt, quod me ſcire voles. Nam hoc prouerbium ſemoui a reliquis. Bene vale cum omnibus tibi charis. Prid. Epiphaniorum.

Eraſmus Rot. tuus.

Epiſt. XIX.

Oro vt prima quaque occaſione hanc epiſtolam mittas Sadoleto. Te ipſum expecto, quod vt erit gratum, ita nolim tuo incommodo fieri. Vale. 27. die Aprilis.

Agnoſcis tuum.

Epist. XX.

S. Reuixisse te magnopere gaudeo. Si quid meus Iacobus isthic effutiuit temulentus, aut designauit quod me referat scire, poteris per hunc tuto scribere. Est enim mihi spectata hominis fides. Bene vale.

Epist. XXI.

S. Priusquam sumamus operam in scribendo, vellem explorare te, num tribunus velit hoc negotium tua caussa recipere, et an sit illic diutius commoraturus; dein an Iacobus Sturmius absit in aliqua legatione. Syngrapha mea habet de auro in auro; tanto minus erit sarcinae huc apportanti. Remitte exemplar epistolae ad Copum, ac vale.

Epist. XXII.

S. Ipse vix semiuiuus, ex animo doleo calamitatem domus soceri; hanc domum puta esse tuam. Vbi commodum erit, lubens tecum quaedam communicauero coram. Bene vale.

Epist. XXIII.

S. De declamatione per Caluum reddita nihil omnino memini, nisi forte sentit epistolam liberius scriptam. Excutiam tamen schedas meas, et si quid tale comperero, faciam quod iubet. Ante complures menses accepi ab eo epistolam non tam prolixam, quam amicam et elegantem, vna cum Sucqueti litteris. An postea scripserit nescio. Bene vale.

Agnoscis.

Tua ilico curaui, sed nihil responsi ad me allatum est, et properat auriga. Vale.

Epist. XXIV.

S. Non est animus ad tam stulta conuicia quidquam respondere. Aut ego nihil iudico, aut homo simpliciter insanit. Iunxit copias suas Epph. et illi instillauit in aurem aliquid arcani. Nam fuit olim congerro meus. Nam et Epph. minitatur atrocem librum. Hoc tamen nugamentum contra edictum Senatus Argentinensis fur-

tim excuſum eſt, nec loci, nec typographi prodito vocabulo. Reliquerunt locum, diem et annum epiſtolae ſcriptae, vt lector exiſtimet hic excuſum. Hae ſunt technae veteres Epphendorpianae. Sic luſit in libello Othonis. Inueniet aliquando Deus τὸν παμμίαρον. Me corripuit neſcio quae valetudo ex aëris ſiccitate; nullis remediis poſſum recludere aluum. Bene vale, mi Bonifaci. Si quid voles in aulam Caeſaris, hic meus Liuinus eo properat, vereor ne minus feliciter; fortaſſis et Thraſonis libellus furtim eſt alicubi. Subodorato. De Budaeo ſcribam alias. Rurſum vale.

Epiſt. XXV.

S. Supereſt orare ſuperos, vt omnia vertant in bonum exitum. Regem tali Labyrintho inuolutum doleo. Si hic calculus excantari poſſit è veſica, caetera fortiter ferrem. Bene vale cum tuis omnibus.

Eraſmus tuus.

Epist. XXVI.

S. p. Adest equidem Epphendorp. dira spirans ac iudicium minitans. Renano videtur consultum, vt cras in aedes Beri veniamus ad colloquium, experturi, num res verbis inter nos transigi queat sine tragoedia. Optarim te adesse, si commode possis. Nam mihi litigandi nec vsus est, nec ocium. Bene vale. Noctu delibera.

Epist. XXVII.

Constat, Erasmum plus praestitisse, quam exigebat arbitrium.

1. Primum praescripsit, vt scriberet Duci; hoc erat vltra pactum.
2. Praescripsit, quae deberet admiscere; et hoc vltra pactum.
3. Exegit vesp. vt mane essent paratae litterae; et hoc vltra pactum.
4. Vt ab ipso lectae, ipso praesente, signarentur; et hoc vltra pactum.
5. Vt ipsi traderentur mittendae; et hoc.

6. Exegit praefationem libri nondum nacti. Et hoc.

7. Nec Eraſmus promiſit inſcriptionem, niſi amicitiae nomine. Et ita ſi ſenſiſſet Epphendorpius, ex animo factum amico. An hoc praeſtiterit, neſcio. Certe ipſe in litteris fatetur, ſe effutiſſe de multis noſtris libris &c. Et epiſtola, quam iactat, habet conuicium perfidiae.

8. Vt nihil horum conſtet, non licuiſſe. Etiamſi fuiſſet praeſcriptus dies, quod omnes norunt, qui me norunt.

9. Ante proximas nundinas nihil poſſum illi polliceri. Solus ſupereſt libellus Chryſoſtomi graecus, qui nec illi conuenit, et ante ſeſquiannum promiſi Cartuſiano cuidam optime de me merito. Hunc dicabo ſi velit, quamquam non obligor.

10. Sententia: Petit quod fieri non poteſt, quodque non debetur ex arbitrio. Si quid interim molitur inimice, faciet contra fidem compromiſſi.

Numerant dies profectionis ad nundinas. At iam oportebat librum esse paratum, si esset excudendus.

Epist. XXVIII.

Si recte vales cum tuis, est quod plurimum gaudeo. Nos, gratia superis, vtcumque valemus. Si quis obtinget, per quem scribas Alciato, quaeso vt eidem committas has litteras ad Petrum Castellanum, qui agit apud Biturigas. Cura vt quam optime valeas cum tibi charissimis. Non est quod haec res te sollicitum habeat; non est magni momenti.

Epist. XXIX.

S. p. Rogo vt quum primum licuerit, mittas nobis libellum Luteri de bello aduersus Turcas. Ioannes a Lasco excusat se de silentio, quod me noluerit inuidia grauare. Nam inuolutus est negotio fratris cum Turca bellantis aduersus Ferdinandum. Iustus Regis Secretarius scripsit, illum esse factum Episcopum in Vngaria,

et eo iam profectum esse, nescire tamen, vbi resideat. Doleo vicem hominis. Id eo scribo, vt per te sciat Beatus. Tametsi satius arbitror, non spargi rem latius. Bene vale. Media nocte. Saluta mihi Basilium de nota meliore cum vxore.

Agnoscis tuum.

Epist. XXX.

S. p. Quid hoc saeculo miserabilius? aut etiam iniquius? Spero, fortunam tuae prudentiae tuaeque integritati respondsuram. Etiam gratias agis? Non potes esse tui dissimilis. Nondum videris agnoscere animum meum. Gratum est, quod nuncias socerum nondum rediisse. Demiror tamen moram tam diutinam. Suspicor illum aliquid agere in aula Caesaris, alio praetextu. Cupio te cum tuis omnibus quam optime valere.

His obsignatis accepi alteras litteras tuas parum laetas. Sed tu fac sis animo philosophico, et homo natus casus humanos moderate ferto.

Epist.

Epist. XXXI.

Age, patiar hic quoque te vincere, quando ita vis; sed posthac non dabo tibi similem occasionem. Dissimulandum erat, quod mihi pararetur ille puluis. Extrudunt suas materias euanidas. Quod in hoc puluere praecipuum est, rebarbarum, ni fallor, putre est. Quem Ephorinus curauit, erat elegans. Medicus erat.

Gratum est missos esse calamos. Raeto egi gratias, cui curabis reddendam epistolam.

Gaudeo tibi auctam fortunam cum dignitate. Cupio te cum tibi chariſſimis quam prosperrime valere. Friburgi. 21. die Febr.

Erasmus Rot. tuus.

Epist. XXXII.

Hunc ludum mihi semper praesagiit animus, ac vehementer mihi soceri consilium. Vtinam me fallat augurium minitans atrociora. Vehementer cupio scire,

quo in ſtatu res tuae ſint. Nam hic parum laeta nunciauit. Mihi pulchre conuenit cum hoc coelo, ſed admodum diſplicent haec rerum prooemia. Dominus tueatur innocentes. Bene vale, Vir animo meo chariſſime, cum fratre optimo. Datum Friburgi. 17. Cal. Iulias.

Agnoſcis tuum.

Epiſt. XXXIII.

S. Ioachimus medicus ſpem nobis fecit tui aduentus. Nos quaſi de Calcaria in Carbonarium, ab apophthegmatibus ad prouerbia reuoluti ſumus. Si tibi fertiliſſimas iureconſultorum ſegetes ſpatianti forte occurrerit aliquid, quod exiſtimabis nobis fore vſui, quaeſo vt communices ſolito tuo candore. Bene vale.

Epiſt. XXXIV.

S. Habeo gratiam. Si quid nouorum acceſſerit, indica. Quis tibi dixit, canem in eadem tegula dormientem eſſe prouerbium? Decepit te. φασὶ. Multa iam exi-

erant manus meas. Multa iam antea prodideram. Bene vale.

Eraſmus Rot.

ſi forte manum non agnoſcis.

Epiſt. XXXV.

S. p. Libellum glorioſi Sepuluedae iam bis acceperam, primum e Lutetia illic excuſum, mox e Roma, vbi primum excuſus eſt. Sunt merae naeniae, nec video eſſe dignum vllo reſponſo. Alia magis vrgent. Iniecta erat ſpes aduentus tui, ſed ea fefellit. Si omnia ſunt ex animi ſententia, vehementer gaudeo. Vale cum tibi chariſſimis. Frib. poſtridie Euchariſtias.

Hodie venit ad me meus Cacabus, dicens, illum cui iuſſeras committi litteras ad Alciatum, nuſquam inueniri in rerum natura. Admiratus, quid eſſet, iuſſi exhiberi tuum epiſtolium ad Cacabum. Pro Bernardo legerant Burcardo, et pro Melin Meliti. Iuſſi vt adiret Secretarium Sena-

tus, et quaereret Bernardum Melin, ec inuentus eſt. Sed nae tu vir prudens es, qui ſtipiti committas quidquam. Bernhardus ille non mutauit inſtitutum, ſed ait ſe expectare Antonium Bletzium, venturum opinor ad Calendas graecas. Haec adieci contante Albano Medico. Vale etiam atque etiam, φιλτάτη κεφαλή.

Epiſt. XXXVI.

S. p. Perplacet Syngrapha. Alteram exuram. Non diſſuaſerim illi amico noſtro, vt accipiat oblatam conditionem, ſi modo reſpondeat ὁ μισθός. Nam mihi videtur nimium familiaris Sireni blandiſſimae ἀπραξία. Itaque expediet illum ad negotia pertrahi, vt excutiat illam deſidiam. Res eſt in ſinu, nec diſcingor. Vale. 4. die Febr.

Eraſmus Rot. tuus.

Epiſt. XXXVII.

S. p. Litteras tuas priores piſtor meus mihi reddidit, nec interim obtigit, per

quem ſcriberem. Tu nihil inuita dices faciesue Minerua. Tuus animus tibi fuerit conſultor optimus. Niſi abhorreres ab aula, egregius gradus fuerit Dolae profiteri. Et tamen illic non abſque digladiatione profitereris, quum, ni fallor, genius tuus aeque abhorreat a concertationibus atque ab aulis. Animal es domeſticum ac cicur. Nec temere feliciter cedit δεσμιχεῖν.

Libertas iſta an diu ſit duratura, neſcio. Vereor, ne profecto Caeſare redeant ad relicta, vel diſſimulata potius. Sed futura praeſcire, Dei eſt. Quare vt fruaris fumo τῆς πατρίδος γαίης, excogitandus eſt tibi color, quo Dolenſibus ſatisfacias. Excuſabas conditionem ignotam. Ea iam delata non omnino maligna, aliquid noui comminiſcendum eſt, quam ob rem quod offertur non accipias.

Vt delicatus puer a mamma matris poſſis abeſſe, tamen vxor cum liberis, & ſoceri affectus non leues ſunt remorae. Qua-

re quod facturus es, fac certa animi deſtinatione. Nam pendere miſerum eſt. Bene vale. 20. die Aprilis. Baſilio ſalutem plurimam.

Epiſt. XXXVIII.

S. p. Vt video, magnificentius de te ſenſi, quam pro re. Non dubitabam, quin domi haberes tria millia florenorum. Certe dignus es centum millibus. Si iniquitas temporum aliaeue cauſſae obſtant, quo minus exiſtimes tibi commodum accipere quod offero, non ero tibi poſthac moleſtus. De oculata die non eſt quod labores. Satis eſt, ſi prima ſolutione dentur ducenti floreni pro vno tantummodo, tertio centum. Hic ſi quid eſt commodi, in nullum transferre malim, quam in te tuoſque; Sin aliud obſtat, non ero poſthac moleſtus. Nihil tamen agam cum alio, ni prius acceptis tuis litteris. Nec eſt quod mihi gratias agas. Arbitror omnia mea tua eſſe. Opto te cum tuis quam optime valere. Saluta mihi Grynaeum

amanter, et Basilium. Friburgi. 25. die Ian.

Epist. XXXIX.

S. p. Nec conuictorum nec quaestus sum auidus; tamen quoniam video sic affectum Danielem moribus humanissimis, recipiam illum ad mensam duntaxat. Nam domi non est locus cubiculis. D. Polonus gaudet illum accessurum. Non possum minus accipere quam florenos tres in singulos menses. Vellem illum dicere, quod daret 3. et dimid. Tantum enim dat Polonus. Aut certe ne exprimat summam, sed dicat se daturum, quantum ego petiero.

Si habet tuus hortus Basilicam & Thymum, optarem paullulum. Redde Danieli suam epistolam et libellum. Vtrumque perlegi non indiligenter. Bene vale.

Epist. XL.

S. p. Scripsi ante paucos dies per hominem certum. Per hunc a nobis conduc-

tum poteris ſignificare, ſi quid velis.

Hic multi aegrotant, quidam etiam moriuntur, et in Anglia quidam amici excuſant morbum. Nam illinc aliquot epiſtolas accepi de rebus meis certa nunciantes. Morus adhuc eſt in turri, ſed mitius habetur. Nam Rex permittit, vt vxor et liberi ad eum accedant. Roffenſis eſt in loco anguſto, nec habet praeter vnum famulum.

De penſionibus alter negat ſe debere, alter ſoluit dimidium, quod bona ipſius fuerint a Rege confiſcata. Bene vale, 18. die Febr.

Eraſmus Rot. tuus.

Epiſt. XLI.

S. Legi arcana tua, ſed imprudens. Omnino credidiſſem epiſtolam mihi ſcriptam eſſe, niſi feciſſet mentionem pharmaci. Bene vale. 15. die Maii.

Agnoſcis tuum.

Epist. XLII.

S. Quoniam mihi feliciter solent cedere, quae per te ago, mitto nunc epistolam ad Sadoletum, cuius exemplar iterum missurus sum per alium. Potes addere vnum librum Basilii de Spiritu sancto a me versum, et vnum declarationum nouarum.

Mitto tibi dono volumen epistolarum palaeoneon, quarum prima tecum litigat.

Qui has reddit Ioachimus Gandauus, iuuenis est vtriusque litteraturae ac rei medicae pulchre callens. Bene vale. 27. Augusti.

Petit Italiam, si quid per illum voles scribere. Ibit opinor per Augustam.

Epist. XLIII.

Heruagius iam bis ad me scripsit, quasi totum Ciceronem ad me receperim. Et hoc honoris mihi defert, vt solus in eum praefarer autorem. Existimabam te susce-

piſſe hoc negotii. Mihi certum eſt aeſtate proxima ab hoc laborum genere feriari. Si forte nactus eris qui petat Sadoletum, mitte illi homilias a me verſas et Symbolum. Bene vale. 8. die Martii.

Epiſt. XLIV.

S. p. Incommode accidit iuuenis meus huc . . . . . die Martis ad veſperam, dum paullo iam receſſiſſet Trubbelmanus, Zaſius epiſtolam tuam poſtremam miſit ſub noctem. Itaque non potui reſpondere. Cupio enim optimo viro in maioribus rebus gratificari. Vellem autem vt ad hoc exemplar fiat et mihi pyxis eiuſdem pulueris. Mittam pecuniam primo quoque tempore. Vale. Die lunae. mane.

Epiſt. XLV.

S. p. Gratulor Ciceroni, qui tuis auſpiciis prodibit in lucem. Sed vide, ne te non poſſis explicare a piſtrino, ſi ſemel eo te conieceris.

Diuiſio nihil habet difficultatis. Primus ordo eſt artis. Secundus operis, hoc eſt orationum. Tertius epiſtolarum. Quartus Philoſophiae.

Editioni Cratandricae vidi quaedam adiecta ex Budaicis et meis citationibus. Aldus multa deprauauit. Vnum nominatim indico in prouerbio: Boui clitellas. In Adagiis, quae nunc adiecimus Chiliadibus, plurima loca cito ex M. Tullio. Si quid occurret per otium, admonebo.

Gallus ille tuus homo leuiſſimus, rogatus a me, quantum accepiſſet a Sadoleto, faſſus eſt accepiſſe ſe quatuor capita, hoc eſt Coronam, et Quirino dixerat duos. Exhibuit exemplar epiſtolae Sadoleticae. Epiſtolam aiebat interceptam ab eo, a quo fuerat captus et tortus: non ob aliud niſi quod ſuſpicaretur, illum eſſe Luteranum. Et tamen ad Pharelli preces dimiſſus eſt; Odoratus ingenium hominis, dedi potum et octo plappardas. O iacturam inquis. Imo bene collocatum eſt,

qui tantillo liberatus ſim a tali artifice. Mundus impletur talibus planetis.

Hoc coelum incommode me tractat. Tu cura vt cum tuis quam rectiſſime valeas. Nam inſtat Martius.

Eraſmus Rot. mea manu.

Epiſt. XLVI.

Profecto doleo, Virum optimum tam triſti caſu ereptum eſſe. Sancte mortuum eſſe nihil miror, nam qui potuit aliter, qui tam innocenter vixerat? Hoc Baſilio noſtro contigit, quod ego ſaepius optaui in his atrociſſimis cruciatibus, qui me non videntur relicturi, donec oppreſſerint. Praeceſſit nos Botzemus, candidus amicus. Et hic Abbas quidam illius hoſpes, mihi bene volens. Supremae voluntati parendum eſt.

Epiſtolam Sadoleti multo amantiſſime ſcriptam accepi vna cum libro, de quo quid Theologi ſenſuri ſint neſcio. Si ſcribes homini, rogo admiſceas amicam meae

erga illum voluntatis teſtificationem. Nam mihi ſcribere per valetudinem tutum non eſt. Tu fac in omnibus humanis caſibus tuam Palladem adhibeas in conſilium. Vale.

Etiam atque etiam te rogo, vt propter veterem amicitiam, quae tibi tuiſque fuit cum domo Frobeniana, adſis Eraſmio. Vereor enim, ne apud quoſdam plus valeat lucri ratio quam pietatis. In eo ſolo ſupereſt Ioannes Frobenius, quem quidam conantur reddere mancipium gentis, quum potius deberet eſſe caput. Friburgi. 16. die Aprilis.

Eraſmus Rot.

Epiſt. XLVII.

Hic iacet, ante diem fatis praereptus iniquis,
Gentis Amerbachiae gloria prima, Bruno.
Non tulit vxori ſupereſſe maritus amatae,
Turtur vt ereptae commoriens ſociae.

Hunc nudae lugent Charites, Muſaeque trilingues,
Iunctaque } cum niuea ſimplicitate
Canaque } fides.

Epiſt. XLVIII.

S. p. Nihil opus erat ſpargi de aduentu meo, qui prorſus incertus eſt, et ſcis, quam in huiuſmodi negotiis ſoleam σπεύδειν βραδέως. Accepi litteras tuas, quae mihi fuere gratiſſimae. Et illi Viro tam conſtanter tamque ſinceriter amanti gratiam habeo maximam. Bene vale. 25. die Ian.

Eraſmus tuus.

Epiſt. XLIX.

S. p. Arbitror iuuenem phryſium tibi reddidiſſe meas litteras. Quod mones de Alciato, iam olim factum eſt. Indicat hoc illius epiſtola, quam ad te mitto. Non memini quidquam de declamatione, et ſuſpicor, Alciatum falli memoria, aut eum cui commiſit, non reddidiſſe. Excuſſis

omnibus ſchedis meis nihil tale comperio. Hic multa nouantur neſcio quo euaſura. Opus eſt ſerio conſultare. Sed haec coram, ſi fieri poſſit. Sin minùs, mittemus certum. Quid mihi gratias agis de oblato hoſpitio? quaſi non magni beneficii loco ducturus ſim, ſi dignareris ad complures dies domi meae facere quidquid velles. Ni te vnice amarem, ſuccenſerem, quod apud Glareanum cubare malueris. Sed humanum eſt, famula noſtra iam rancida eſt. Bene vale. 3. Cal. April.

Saluta regalem illum.

Eraſmus Rot. tuus.

Epiſt. L.

S. Reges nolunt torqueri incommoditate ſcripturae, et mihi non eſt amanuenſis. Cardinali ſcripſi manu mea. Si veneris poſt prandium, dabo exemplar epiſtolae. Vale.

Epist. LI.

Salue. Pultificum optime. Inhumaniſſimus ſim, niſi iſte animus mihi ſit gratiſſimus. Inhumanus tamen ſim, ſi te patiar in hoc officii genere diutius operam et impenſam ludere. Nullo pultis genere delector. Vale. Hoc pro Lambarto reſpondeo. Nam illi non vacabat reſcribere.

Er. Rot. tuus.

Epist. LII.

S. Vt omnia tibi laetiſſima opto, mi Bonifaci! ita iſthuc eunti neſcio quid mihi mali praeſagiit animus. Sed Deo, hoc eſt animo tuo, et amori in Alciatum, repugnare non ſum auſus. Nihil eſt vita prius; Praeſtat periculoſe redire, quam iſthic perire. Totus orbis videtur ad inſignem quamdam mutationem vergere, quae ſi ſuccedat, fortaſſe Iura vertentur in iniurias. Ante omnia, mi Bonifaci! cura vt viuas et valeas. Nam vmbrae nec Achilli placuerunt. Nos coepimus corpore reualeſcere;

cere; ſed alia multa angunt animum; ſed omnium maxime rumor, huc per Cartuſianos transſcriptus, quod Petrus Aegidius eſſet captus vt Lutheranus. Et ecce famulus adfert litteras, nihil eſſe dictum ſiniſtri. At interim alterum miſeramus. O regnum μονομαχικόν! O te felicem! Hic mirus eſt tumultus ob Euangelium; Sed hoc coram. Tu tantum cura, vt te videamus. Vides orbis tumultum. D. Alciato eris meo nomine epiſtola, cui tantum tribuo, quantum alii nemini. Haec ſcripſi a coena, ne nihil ſcriberem, mi Bonifaci. Commenda me Baſilio, qui poſt abitum tuum numquam nos viſit. Baſileae. Natali Iohannis Baptiſtae. Anno 1522.

Eraſmus ille vere tuus.

Epiſt. LIII.

S. p. Multo felicius ceſſit haec profectiuncula, quam putaram. Non ſolum enim non offendit, ſed firmiorem etiam reddidit valetudinem. Vnde coniicio, et

prolixius iter profuturum. Vtinam contingat rerum tranquillitas! Placet haec ciuitas bene morata, non audio quemquam de quoquam male loqui. Basileae semper bene volam, cuius hospitio tot annos sat commodo sum vsus, et cui vicissim, ni fallor, hospes fui non admodum incommodus. Oblitus sum soluere pro me meisque in diuersorio, homo simpliciter impudens, deinde pro viatico et equo tuo. Adeo mihi excideram sollicitudine componendae domus. Quamquam aliis innumeris nominibus tibi debemus, mi Bonifaci; Diminuendum erit aliquando aes alienum. Ancillae scrinium nondum aduectum est. Sunt in eo tres metae Saccaris, quas emi sex florenis et amplius; quid sit in mora, demiror. Olfacito, quid isthic agat meus Carcinus, et quoties nactus eris hominem certum, scribe, si quid isthic extiterit, quod mea referet non ignorari. Nos vicissim curabimus, ne nescias, si quid hic orietur noui. Bene vale cum vxore, et Basilio βασιλικῶς. Friburgi. 7. Cal. Maias. an. 1529.

Erasmus Rot. tuus.

Epist. LIV.

S. Accepi ſcrinium tandem, ac tuam epiſtolam omni ſaccharo magis ſaccharream, mi Bonifaci. In praeſentia nihil aliud vacabat reſcribere, nam properabat auriga. Hic habito corpore, apud te animo. Bene vale cum tuis omnibus, amice incomparabilis. Heri ſcripſi Hieronymo Frobenio. Friburgi. 3. Non. Maias. 1529.

Non opus eſt ſubdere nomen.

Epist. LV.

S. Accepi litteras ex Biturigia 9. Cal. Sept. ſcriptas, in quibus erant omnia laeta de Alciato. Si ceſſit, nuper ceſſerit oportet. Doleo fortunam hominis virtutibus parum reſpondere. Iſta Enyo num patietur me de te ponere ſollicitudinem? De litteris ad Caſtellanum ne ſis anxius, minimi momenti, et miſi alterum exemplar Francfordiam. Confido tuam prouidentiam proſpecturam, ne quid res tuae detrimenti capiant. Nos, gratia ſuperis, ſat

recte valemus hactenus. Adrepsit in Germaniam pestis Britannica, quo malo non aliud formidabilius. Domini sumus, ille de nobis, quae volet, faciat. Bene vale, Bonifaci amicorum sinceriſſime, cum tibi charis omnibus. Frib. 5. Cal. Oct. 1529.

Erasmus Rot. tuus.

Epist. LVI.

S. p. Dii boni! quod habemus Euangelium, non modo salax et edax, verum etiam pugnax ac lucrax. Non dubito quin arte Conradi sit factum, ne Budaei nouum opus ad nos veniret. Facile credo, Budaeum in me non stringere calamum, sed eruditionis causſa cupiebam videre. Nunc opera Conradi expectandum erit Pascha. Budaeus vt vir magnificus non dignatur attingere plebeios, sed quemadmodum in me subornauit versificatorculos, quorum vnus est Iacobus Tussanus, ita in Alciatum, cui et ipsi male vult, subornat iureconsultos nescio quos. Fabulae partem cognosces ex epistola Vig-

lii, ſummae ſpei iuuenis. Si lues Britannica demigrauit in Germaniam, nihil eo malo formidabilius, nec celerioris contagii. Apud Britannos ante annos ferme quadraginta exortum, numquam deſiit, licet ſubinde ſaeuit acrius. Vix credas eſſe tantum hominum in Anglia, quantum occidit, quum adhuc ignota eſſet vis morbi. Sudor eſt igneus, intra octo horas, aut paullo plures, tollit hominem, aut vitae ſpem porrigit. Qui caloris impatientia admittunt auram, ſubito praefocantur; qui occluſis omnibus multo igni cubiculum incendunt, praefocantur; ſi motis linteis contingat ventulus, actum eſt de illis, praeſertim ſi aperiant axillas, quas ipſe morbus ſic aſtringit, vt, ſi velint, aperire non poſſint. Itaque lintea ſudore putria ſenſim ſubducuntur non mota lodice, ac paullatim inſeruntur munda excluſo vento. Hac moderatione factum eſt, vt poſtea multo pauciores perirent. Quin repetit iterum atque iterum hominem noua contagio. Aiunt denique repertum a medicis praeſens remedium, quod

cuiuſmodi ſit, nondum ſcire potui. Puto apud Anglos vix trigeſimum quemque ab eo malo praeteritum. In familia Mori frequente nullum reliquit intactum, praeter ipſum et vxorem, nullum tamen ſuſtulit, quod ſciam. Quot flagellis admonet nos Deus, nec tamen emendamur. Si quando voles commutatione loci reficere animum ad dies decem aut quatuordecim, habebis apud nos cubiculum et lectum ſatis commodum, mihique futurus es hoſpes multo gratiſſimus. Apparaui mihi nidum meo ſumtu ſat commodum. Si modo nanciſci liceat bonorum lignorum copiam, caritatem vtcumque contemno. Nec eſt quod de ſumtu cogites. Ingens lucrum mihi feciſſe videbor, ſi liceat tua doctiſſima conſuetudine vti frui. Saluta mihi Baſilium et vxorem. Ipſe vt quam optime valeas opto. Datum Friburgi. 4. Nonas Octobr. 1529.

Agnoſcis tuum.

Epist. LVII.

S. Vtinam non coniecerit nos in falsum gaudium Hieronymus Frobenius, qui nobis spem praebuit tui ad nos reditus. Est abunde spatium in his aedibus. Erasmium nostrum dimisimus; Id adeo me inuito factum non est, vt iam pridem hoc procurauerimus, licet inscio puero: Verum audi fucum. Semper suasi, vt proficisceretur Louanium, neque prorsus abduceretur a litteris, donec plane pubuisset, quamquam iam nunc pubuit. Locus est elegans, Academia frequens, multae lectiones publicae, et quidem gratis. Adest illic Carolus Harstus domi alens aliquot honestos adolescentes; habet vxorem aptissimam his curis, quibus interdum opus habent pueri. Ipse conuictus nobilium, atque adeo principum puerorum nonnihil contulissent ad componendos Erasmii mores; tum omnes professores in aere meo sunt, nihil non facturi mea. His rationibus arbitrabar posse fieri, vt liberali consuetudine, hilarique bonorum conuictu,

elueret odium taediumque ſtudiorum, quod ex illis tot carnificibus a teneris imbibit; qua de re coram audies prodigioſa quaedam. Verum hoc conſilium numquam illis placuit, quod mihi tamen non debet admodum eſſe moleſtum, quum vſque adeo non ſit nouum, vt quoties de inſtitutione pueri ageretur, cuiusuis conſilium ſequerentur potius quam meum. Decreuerant illum mittere Lugdunum, vt in taberna Melchioris periret frigore, fordidoque et longo feruitio fieret, vt numquam erigeret animos. His rebus ita pendentibus, venit huc Hieronymus abducturus Eraſmium. Seductum rogaui, quid eſſet decretum. Ait, totum mutatum conſilium; decretum, vt iret Lutetiam, nec adhuc a ſtudiis in totum abduceretur. Admiſcuit autem quaedam, quibus indicabat, forte Eraſmium adhuc Baſileae hybernaturum. Id tametſi diſſuadebam multis argumentis, tamen aliis intentus non ſatis animaduerti fucum; Eum nocturna patefecit cogitatio. Audio, Oecolampadium habere commercium cum ea fami-

lia. Occasionem dedit Chrysostomus. Ei communicarunt consultationem de puero. Is consilium dedit, vt maneret Basileae sub disciplina Cyrenaei. Cum oderint litteras, tantum spargunt fumos professionum, partim quaestus gratia, partim vt aetatem simplicem in haeresi sua confirment; et me suspectum habent, quod soleam amicos ab huiusmodi addictionibus auertere sedulo. Mane iam conduxerant equum Erasmio. Exposui Hieronymo, quid suspicarer; et inter multa hoc adieci, mihi videri hoc consilium esse pessimum, sed tamen habere me rationem, qua id ferrem moderatius. Roganti quam tandem, vt exuam, inquam, affectum, quem hactenus habui in Ioannem Frobenium, cui hactenus ne mors quidem viri quidquam detraxit. Non dubito, quin isthic adsit Georgius, qui mouet hanc machinam; Metuit, ne puer euadat parum haereticus; quumque puer simplici natus ingenio, et ad omnem nutum cuiuslibet plus satis obsequens, tot annis a tot carnificibus excruciatus sit, vsque ad integrae mentis

iacturam, nunc rursus hoc agunt, vt saeuitia, quod supereſt mentis, obtundant, ac perpetuo puerum faciant. Ni fallor, peregit annum 16. et Hieronymus subinde asseuerat, illum nondum egressum annum 14. Iam non nouum est, si cuculi ouum alieno nido suppositum exclusit nobis pullum qui τοὺς γνησίους deuoret. Nec mirum est, si pro nihilo ducit filium, qui patrem semper habuerit pro ludibrio. Sed de his latius coram si venies; quod vt quamprimum tuoque commodo facias opto. Interim hoc opellae mihi praestes rogo, vt dissimulanter olfacias, quid agant de Erasmio, et quid moliatur Georgius, opinor et Carinum adesse. Postremo fabulare cum puero, et expiscare, ecquid sibi gratuletur de relicto Friburgo, quoque sit in nos animo. Nec enim videtur habere tantum ingenii, vt agnoscat discrimen inter bene meritum et male meritum. Etsi haberet decem patres, non tractarent illum amantius, quam a nobis tractatus est. Nihil illo Hieronymo fucatius, qui cum prius patrem impie contemserit,

coniuratus cum tali vxore, nunc eam coniecit in tale matrimonium. Supereſt perdendus Eraſmius. Haec liberius in ſinum tuum, qui noſti, quae dicenda, quae tacenda. Si differs aduentum tuum, et habebis certum hominem, per quem ſcribas, ſignifica nonnihil de myſteriis. Bene vale. Friburgi. prid. Non. Nouembr. 1529. Non relegi.

Eraſmi tui manum agnoſcis.

Neſcio quis caſtiget Budaeana. Quaedam deprehendi errata, ni fallor. Col. 1. verſ. 12. κατηγόρος ſcribendum arbitror. Col. 13. verſ. ab initio 6. βουλὴ puto ſcribendum. Col. 18. verſ. 16. ἐκεῖνος male habet. Col. 19. verſ. ab initio XI. pro ἔικους ὄικους ſcribendum. Si videtur mone Bebelium.

Epiſt. LVIII.

S. Non obſtabam, quo minus iret Lutetiam, licet maluiſſem puerum ire Louanium; tantum haerere Baſileae, et augere ſcholam Euangelicam, et in Herua-

gii carnificinam retrahi nolebam. Quod abductus eſt, id meo conſilio fuiſſe procuratum, veriſſimum eſt; ſed miror, vnde id reſciuerit puer; nam ipſe iuſſeram eſſe clam. Iudicio dimiſi, affectu receperam. Amabam illum amore patris, ſperabam noſtro conuictu futurum, vt amaret ſtudia; puer id valde cupiebat, nec tamen eram admiſſurus, niſi me flexiſſet miſericordia. Viuebat apud priorem ſolus diſcipulus, vapulabat affatim; erat miniſter menſae, nam habebat conuictores ſex, famulum nullum. Iſte ſeruus erat culinae, et totius domus hydrophorus. Nec dimiſſurus eram illum, ſi Nicolaus tractaſſet illum ex animi mei ſententia. Nicolaus eſt praefracti ingenii, et ni illius ſenſiculis obſecundauerit, intolerabilis. Illud demiror, quod puer ex quo diſceſſit, nec ſcripſit, vt receperat, nec in alienis litteris, imo ne verbis quidem me ſaluere iuſſit. Si pudor eſt, aut negligentia puerilis, condonandum eſt, ſin ingratitudo, vereor, ne et affectum meum et officium parum bene collocarim, ac pro-

pemodum me poenitet, quod Goclenium tam accurata commendatione onerarim. Non eſt, cur huc vllo tuo incommodo venias. Tantum volebam tua conſuetudine frui, ſi id tibi bonum atque commodum fuiſſet. Vbi veneris, habemus paratum cubiculum, et ſtabulum ſat commodum, ſed abſque pabulo. Perge κατάσκοπον agere, quamquam arbitror, illos iam eſſe profectos. Animi gratia lubet ſcire, num ante profectionem vapulauerit ab Heruagio, qui demirabor, ſi potuit abſtinere manus. Gallia eſt afflicta, Italia funditus perdita, Hungariam obtinet Turca, et vereor ne haec tempeſtas peruadat totum orbem, idque breui. Curis domeſticis angi te doleo, quibus et ipſe non raro diſcrucior. Sed ad omnia durandus eſt animus. Bene vale, mortalium chariſſime. Friburgi. Octaua Martini. 1529.

Agnoſcis tuum.

Epist. LIX.

S. p. Tuus sum et tuus esse gaudeo. Nihil ista cantione mihi dulcius. Tametsi nihil opus occinere, quod penitius infixum est animo, quam vt vmquam possit elabi. Nec arbitror necesse, vt tibi recinam: Tuus sum et tuus esse gaudeo. Meditor respondere Sadoleto et Alciato. Si quis obtigerit, admone. Hic nihil est nouae rei, nisi quod pestilentia se remisit, et isthic vt audio pullulat. Opto te cum tuis omnibus quam optime valere. Nominatim saluta mihi Basilium. Friburgi. 8. Febr. 1530.

Epist. LX.

S. p. Nicolaus Episcopius iniecit mihi nescio quid scrupuli, quum narraret, te isthic manere iussum ad dies octo, alioqui huc adornantem iter. Deinde dixit nescio quid de litteris interceptis per quemdam huic venationi intentum. Spero recte fore omnia; sed vtinam me fallat mea diuinatio, qua semper metui, ne parum

felix esset tibi Resp. cum cuius moderatoribus esset tibi de Religione dissidium. In tali statu non est anxie rei familiaris habenda ratio. Et neglectum emolumentum honesta de caussa saepe cum foenore pensat Deus. Noui tuae indolis ingenuitatem, nec ignoro quorumdam maleficas insidias, quibus ante omnia fidunt. Nescio an tibi scripserim de Thrasone nostro, qui scribit ad me, se coactum sumsisse calamum, ac nostro libello respondisse, sed tamen moderatius, quam postulabat rei atrocitas. Pessime habet hominem, quod ibi fiat mentio decem florenorum. Ad hoc ita respondet: Quis tibi dixit, me petiisse decem florenos? Dic illi, eum esse sceleratissimum furciferum, et nefandissimum sycophantam. Videtur oblitus, quid tibi Beatoque dixerit. Dissimulo me accepisse epistolam. Quid agas cum tali portento? Sed huius generis nimis multa alit Germania. Si huc veneris, domus haec gaudebit tali hospite. Habemus iam lectos. Opto te cum tuis omnibus quam rectissime valere. Saluta

Basilium meis verbis amanter. Friburgi. nono Cal. Mart. 1530.

Erasmus omni iure tuus.

Epist. LXI.

Videtur in fatis esse tuis, vt difficillimae legationes tuis humeris obtrudantur, tametsi solent eximiis ducibus laboriosissimae prouinciae delegari: ac earum quidem difficultas animi virtute superatur; caeterum istius animi vim aduersa corporis valetudine impediri, magnopere dolendum est. Mihi tertium iam mensem cum tenacissimo malo res est, adeo vt nec scribere possim, nec dictare, nec attentius auscultare recitantem, indies magis ac magis exaresccente corpusculo. Ita visum est Domino. Hodie tamen ferro ruptum apostema praebet aliquam salutis spem. Nulla res me coëgit Basileam relinquere, nisi palam profligata vetus religio, et res subinde illic nouae. Nam officina Frobeniana propemodum ex me pendebat, et qui mihi ob dogmatum dissensionem male volebant,

volebant, tamen vel ob hoc cupiebant me illic manere, ne diſceſſu meo conflarem ipſis inuidiam, velut odio ſectae profugiens. Idque tum Oecolampadius tum Tribunus plebis, qui totius illius negotii Coryphaeus eſt, mecum egit accurate, ne meo receſſu ciuitatem grauarem inuidia. Tandem venabantur anſam, quocumque pacto retinendi mei; ſed nullam inuenerunt. Nulli eram vllo nomine obnoxius. Nec clam me ſubduxi, ſed meridie a ponte loco frequentiſſimo ſolui, diu cum amicis ibi confabulatus. Is receſſus me non admodum diſcruciat. A tali republica libenter profugi. Doleo tamen, ciuitatem et celebrem et elegantem, cuius hoſpitio tam diu fueram vſus, in hunc rerum ſtatum deductam eſſe. Sed vtinam hanc ſolam liceret deplorare! Migratio mihi damnoſa fuit, ſed valetudini profuit. Quomodo me ſit excepturus orbis, neſcio. Iampridem circumſpicio ſedem aliquam tranquillam, vbi quietus ac mecum viuens expectem diem ſupremum. Sed nondum obtigit. Hoc corpuſculum mul-

tis eget, praesertim vino generoso. At non vbiuis suppetunt omnia. Nec tamen desunt, qui mihi male velint in vtrisque castris. Qui sese dogmatibus improbatis addixerunt, neminem peius oderunt, quam me, in quibus nullos patior hostes infestiores, quam quibuscum olim mihi fuit arctissima consuetudo. Sunt rursus ex altera parte morosi quidam praecipue monachi, qui me velim nolim contendunt facere Lutheranum. Itaque vtrinque proscindor linguis, lapidor petulantissimis libellis. Verum a damnatis vituperari mihi propemodum laudi duco. Monachorum naenias facile negligo; Ridentur a cordatis omnibus. Illud demiror, quae res permoueat Albertum Pium, olim Carporum principem, vt in me stringat calamum. Iam Lutetiae libellum vnum euulgauit, cui respondimus ciuiliter. Nunc, vt significant amicorum litterae, molitur aliud volumen, et, quod mirum est, abutitur ad haec stipendiatis aliquot, praesertim Sepulueda quodam Hispano. Argumenti summa est, me fuisse occasio-

nem, auctorem ac principem totius huius prodigiosae tragoediae. Loca colligit, quae videntur cum Luteri dogmatibus conuenire, quum ne vna quidem sententia sit cum Lutero consentiens, si absit calumnia. Quasi sit obscurum, vnde malum hoc primum extiterit. Quanto fuerit labor vtilior, si colligat e libris meis loca, quae pugnant cum Luteri dogmatibus, quorum infinitus est numerus. Sed si haec sunt fati mei, bonorum iudiciis, et recti conscientia me ipsum consolabor. Interdum cogito Italiam, sed pudet senem peregrinari. Arrisit enim coelum Patauinum, delectauit Italicae gentis humanitas. A Brabantia mea vt multa alliciunt, ita multa deterrent; in quibus est ipsum coelum, cuius an hoc corpusculum iam patiens futurum sit, nescio; tum aula Caesaris, quam si colo, actum sit de hoc corpusculo, si negligo, non possum illic subsistere, et videbor contemtu facere, quod coactus necessitate facio. Verum super hac re, si valetudo contingat prosperior, de-liberabitur. Postremo, quod petit T. R.

D. vt ſignificem, quid in praeſenti rei-publicae ſtatu ſperem metuamue, video viros me longe perſpicaciores, quibuſque Germaniae res tum publicae tum priuatae penitius cognitae ſunt, quam mihi, qui hic plane peregrinor. Nullum diſpicere poſſum huius monſtroſiſſimae tragoediae exitum, niſi Deus veluti de machina ſubito apparens vertat animos hominum, quod vtinam nobis per Caeſaris potentiam ac pietatem largiri dignetur ipſius miſericordia. Haec vnica mihi ſpes eſt. Alioqui quoties animum conuerto ad humana conſilia praeſidiaue, nihil omnino video ſpei. Immo, quo diligentius contemplor huius mali partes omnes, hoc magis mihi inhorreſcit animus, demiranti quid hoc portentoſo tumultu parturiat mundus. Optabile erat, ſi peſtis haec citra ſanguinem ac mortes ſanari poſſet, et ſpes eſſet, ſi ſe remitteret factionum pertinacia. Quod ſi ferro res geratur, vereor ne conſpiciamus miſerandam Germaniae faciem, vt ne commemorem incertum eſſe belli euentum, maxime quum tam late ſparſum ſit

malum, vt vſturis aut ſectionibus velle mederi, ſit totum pene corpus perdere. Proinde, ſi e rebus peſſimis eligendum ſit aliquid, fortaſſe conſultius ſit, res in hoc libramine relinquere, in quo nunc ſunt, donec Deus noſtri miſertus ſuam adhibeat medelam. Qua in re illud perſaepe miratus ſum, quod quum tot fuerint in ciuitatibus tumultus, toties foras vtrinque procurſum ſit ad arma, tamen hactenus guttula ſanguinis non ceciderit, ſemperque hactenus ſeruata ſit inter eos commerciorum ciuilis concordia. Multa ſunt hulcera, querelae ſeruorum in dominos, non omnino vt ferunt iniuſtae, quod fuit primum ruſticani tumultus ſeminarium, cuius cineres metuo ne etiamnum viuant. Deinde plebis aduerſus principes querimoniae, ad haec odium in Eccleſiaſticos omnes, quod Luteranis proprium non eſt, ſed fere laicorum omnium commune. Atque huic inuidiae noſter faſtus, luxus, et palam impudica vita non minimam cauſſam dedit, neque quemquam tamen videmus, qui tot malis admonitus ſe ver-

terit ad vitam emendatiorem. Iam apud Germanos etiam hi qui sectas detestantur, non sunt tamen admodum propensi in pontificii nominis fauorem, adeo vt, ni suprema potestas isthic adesset, fortassis expedierit non adesse legatum apostolicum. Accedit huc Turcarum rabies, quae quo progressura sit nescio. Non enim dubium est, quin metuat duorum fratrum indies crescentem potentiam. Quid nunc commemorem rerum omnium non modo caritatem summam sed penuriam? Denique, vt consentiant principum Germaniae voluntates, quomodo succedet bellum, quod maxima ex parte geretur inuito milite? Nam quemadmodum in ciuitatibus noua dogmata profitentibus sunt nonnulli catholici, ita in ciuitatibus catholicis permixti sunt plurimi diuersae mentis. Quodsi semel datum sit belli signum, tam perierit Erasmus, quam extrema quod aiunt faba. Nam hic locus minime tutus est. Malo tam multiplici, tam vndique exulcerato, non video quis mederi possit nisi Deus, cui in manu est re-

pente rérum humanarum ſcenam in diuerſum vertere. Id autem fore, maior ſpes eſſet, ſi principes vtriuſque ſtatus, caeterique omnes, conſentientibus animis ad Chriſtum oculos ſuos intenderent. Quod ſi ad ſuam quiſque rem ſpectabit, vt hactenus factum eſt, precandum eſt, vt diuina bonitas hominum inconſulta conſilia vertat in laetum exitum. Solus enim ille, qui ſceleribus hominum offenſus paſſus eſt hanc fatalem luem in Eccleſiam ſuam irruere, poteſt eam vbi velit tollere. Quid enim aliud, quam ſupremi Numinis iram interpretari poſſumus, quod per homines humiles et contemtos tam cito tam ingens facta eſt defectio? Impius de Euchariſtia error quanta celeritate quam late diuagatus eſt? Iam infelices Anabaptiſtae quanta coecitate in mortem ruunt? Atque ita videtur affectus Germaniae populus, vt ſi quis exoriatur, qui dogma aliquod abſurdius proferat, ilico ſint amplexuri. Det Dominus, vt omnes concordibus animis ad Chriſtum paſtorem conuertamur; precorque, vt Chriſti Spiritus Caeſaris ac

principum animos dirigat ad ſalutifera conſilia. Libentius hinc emigrabimus, ſi conſpexerimus tantam rerum tempeſtatem in tranquillitatem eſſe verſam. Haec aegre diebus aliquot dictaui per afflictiſſimam valetudinem. Scripſi liberius fretus humanitate, cui vehementer commendatus eſſe cupio. Eam Dominus ſoſpitet ac proſperet in omnibus. Apud Friburgum Brisgoiae. Natali diui Iohannis. Anno 1530.

Epiſt. LXII.

S. p. Zaſius conciliauit ſibi nominis immortalitatem edito libello. Si quid me ſcire voles, aut Simon noſter per hunc ſcribat. Sed ita pingit, vt non multo facilius legam illius ſcripta, quam dicta percipio. Amici aulici cogunt nos hic haerere, licet animo refragante. Caeſar bonam hyemis partem videtur acturus in Germania. Vtinam feliciter omnia. Bene vale. Friburgi. 5. Cal. Sept. 1530.

Agnoſcis manum tui.

Epist. LXIII.

S. P. Vir Doctissime. Quod proximis meis litteris pollicitus eram, praestiti. Tuae igitur fuerit humanitatis boni consulere nostram opellam, qua neglectius propter occupationes nostras absolui quod petieras. De prudentia tua nihil dubitamus, qua curabis, ne vmquam mihi obsequium inscio Erasmo praestitum adferat poenitentiam. Sunt enim in ea epistola quaedam, quae fortassis nollet ab omnibus legi; quare magis mirabor, si eam impressam videro. Si quid praeterea fuerit, quod per nos fieri velis, impera et factum puta. Seruet te Christus incolumem. Friburgi. XI. Ianuarii. An. 1531.

E. T. deuotus

Quirinus Talesius.

Epist. LXIV.

S. p. De litteris nouissime ad Alciatum missis non satis memini; perquiram tamen. Hodie nonnihil remisit se febricula,

nec ſpero mihi futurum melius, niſi hoc ſeſe mutet coelum incommodiſſimum. Auguſtenſis Mercurius meus nondum rediit. Ex Anglia ſcribunt, Archiepiſcopum Cantuarienſem iterum atque iterum hoc anno egiſſe animam. Et eſt octogenarius. Debentur ex praeterito floreni aurei trecenti, in ſingulos annos ducenti. Si quid illi acciderit, Angli non dabunt pilum. Penſionarius Tornacenſis ſcripſit ad me per Schetum, ſed Euangelici litteras intercepere. Si coelum mutaret frontem, fortaſſis exſpatiabor Neoburgum tentandi gratia. Ibi condetur teſtamentum. Etiamne gratias agis? Vt numquam non es tui ſimilis! Etiamque plurimas? Ego te, mi Bonifaci, pro vnico amico habeo, quo theſauro nihil eſſe poteſt homini pretioſius. Bene vale. Vxori et Baſilio ſalutem plurimam. Friburgi. XI. Cal. Maias. 1531.

Epiſt. LXV.

S. Cruciatus pedis, a quo malo metuebam, reliquit me, ſed illi ſucceſſit ſto-

machi proluuium, abſque ſtomachi ruina. Id me et hodie tenet, ſed ſpero finem.

Anſelmus taedio noſtrarum miſeriarum ſeſe ad felices contulit, cui propemodum inuideo, adeo remoror hic lubenter.

Statueram inuiſere νεάπολιν, ſed conſultius arbitror expectare, donec ſim firmiuſculus. Id erit, vt ſpero, breui. Ibi vellem te adeſſe. Nam eſt quod tecum coram commentari cupiam. Vale, et quid agas ſcribe. 6. die Septembris. 1531.

Eraſmus Rot. tuus.

Epiſt. LXVI.

S. p. Minimum abfuit, quin adierim Neapolim. Canonicus, qui illic habet aedes, obtulit equum, quadrigam tectam, hoſpitium, quid non? Ille praeceſſerat die Martis, nos quadriga eramus ſequuturi die Mercurii. Pridie denunciatum eſt nobis, vt eſſemus parati ad ſextam. Factum eſt. Mox denunciatum, aurigam non abiturum ante octauam. Sumſimus

ouum. Rurſum denunciatur, non abiturum ante duodecimam. Iam miſeram ſarcinulam. Relata eſt, famulis ſignificantibus, illum eo die nuſquam iturum. Sic ego feſſus itineris, priuſquam iter ingrederer, remanſi domi, idque multis de cauſſis. Incertus eram, an ſocer rediſſet, et ſi rediſſet, verebar, necubi eſſet in vineis. Poſtremo dubitabam, an eſſem gratus hoſpes futurus, veniens a loco peſtilenti. Nam hic perierunt aliqui, et rumor ſolet atrocior eſſe re. Ne domi quidem deerat quod agerem. Adhuc mihi res eſt cum fabris. Adhuc peregrinor in propriis aedibus. Dices: Significaram rediſſe focerum, et te fore gratiſſimum hoſpitem. Scio, te ſignificaſſe, tuo more officioſe. Tamen ego neſciebam, quod ſignificaras. Qui ſic? inquies. Bobellius treis epiſtolas, inter quas erat tua, bene potus reliquerat in diuerſorio, quod eſt inter Baſileam et Friburgum. Eas ante biduum demum accepi. Cupio ſcire, num res tuae ſatis ſint ex animi ſententia. Nam rumor huc perfert parum gratas fabulas. Nos et a

cruciatu pedis et a ſtomachi proluuio ſat feliciter conualuimus, gratia Chriſto. Vale. Saluta Baſilium. Frib. 17. die Sept. 1531.

Eraſmus Rot. tuus.

Epiſt. LXVII.

S. p. Scripſi per Gaſparem Veliũm. Si quid me ſcire voles, per hunc ſcribito, quem proprie conduxi. Expecto enim laetum a Senatu reſponſum. Socer tuus ſcripſit Bero, ad ſe diuertiſſe neſcio quem metu peſtilentiae vna cum ſua familia. Ex hac vnum ſubito periiſſe. Hoc me neſcire noluit, ne ſi forte veniſſem, poeniteret conſilii. Abieceram iam eam cogitationem, ſed tamen virum illum huius officii nomine multo pluris facio quam antehac feci. Bene vale. Frib. 13. Cal. Octob. 1531.

Eraſmus Rot. tuus.

Epist. LXVIII.

S. p. Non est quod te macerent mea mala. Sic est fatum meum. Optarim tibi omnia laeta, et spero fore.

Aduentus tuus erit gratissimus, nolim tamen te properare tuo incommodo. Vide coelum. Et res non eget magna celeritate. Caue ne te socero miscеas ante tempus. Apparet acrem esse pestilentiam, quae tam celeriter occidit. Et hi menses sunt omnium pessimi. Bene vale, amice incomparabilis, cum omnibus tibi charis. Friburgi. 11. die Octob. 1531.

Habemus locum et foenum, ne quid tibi sit rei cum diuersoriis.

Erasmus Rot. tuus.

Epist. LXIX.

S. p. Stomachus sat feliciter reuixit, et hactenus in his affectionibus tam commode se gessit natura, vt magis nec optare possim. Deest conuictor lepidus, et animus curis vacuus. Beda non conquiescet.

Sed quando incidimus in hoc furiosum Saeculum, ad omnia obfirmandus est animus. Vereor, ne scintilla belli istius glisçat in magnum incendium. Zuinglius habet iudicium suum apud homines, vtinam inueniat mitius apud Deum.

Quandocumque venies, venies mihi gratissimus, modo id fiat tuo commodo. Verum eo admonui ne properares, ne, vt es sedulo officiosus, cum tuo aliquo incommodo huc te conferres. Ex Anselmi litteris intelligo, illum de repetendo nostro conuictu non cogitare. Recipiendus est igitur conuictor aliquis, qui solitudinis taedium subleuet. Haec domus te caperet cum tota familia. Nudius tertius Antonius Fuggerus misit hunc proprium nuncium, significans, et domum et fumaria esse parata. Offert omnes fortunas suas, si velim venire, idque miro affectu. Vtinam talia scripsissent ante emtas has aedes. Reieci negocium ad primam hirundinem. Nec enim aliud potui. Vrget hyems, et per totam Germaniam feruent vaporaria mihi inimica.

Non eſt quod tibi conſulam, vir optime, habes Palladem domi, quae ſuggerat, quid ſit factu optimum. Bene vale. 24. die Octob. 1531.

Eraſmus Rot. tuus.

Epiſt. LXX.

S. Quid ais? perſuaſit tibi iureiurando Grynaeus? At emoriar, ſi vel minima ſuſpicio de fide illius umquam attigit animum meum. Nec poſſum ſatis admirari, unde haec ſuſpicio illi de me venerit in mentem, niſi quod hoc ſaeculum non patitur quidquam eſſe tranquillum. Puto iam illi exemtum ſcrupulum. Si quid reſedit, tu eximito. Scaligeri virulentias accepi. Aleander eſt autor, tam agnoſco phraſim hominis, quam noui faciem. Video, prorſus animo gladiatorio ad me affectant viam. Beda cum ſuis, Eccius, et Aleander Archiepiſcopus nunc apud Caeſarem Legatus, cum pleniſſima poteſtate, parique infania. Nunc exiſtimat ſe perfecturum, quod ante annos octo fruſtra tentauit. Scalige-

Scaligerum ſe vocat, minitans incendium. Nihil eſt tam famoſum, quod non excudatur Lutetiae, modo ſit aduerſus Eraſmum. Non ſatis eſt illis occidere Eraſmum, niſi totum extinguant, erepta etiam fama. Viderit Dominus. Negotium quod tecum agere volebam, nec eſt magni momenti, nec eget magna celeritate. Aduentus tuus erit gratiſſimus, modo ne tuo cum incommodo venias, gratior futurus, ſi aliquot hebdomadas voles hic commorari, praebebitur et ſtabulum equo. Bene vale. Prid. natalis Andreae. 1531.

Agnoſcis tuum.

Epiſt. LXXI.

S. p. Si hic ſedem aut haberes, aut habere deſtinaſſes, etiam de die oculata nonnihil remitteremus. Nunc quando res ipſa diſſuadet, non pergam eſſe moleſtus, dum conor eſſe officioſus.

Quid nouae rei ſit allaturus Caeſar, neſcio. Mirum de illo ſilentium. Aliquid

monſtri alitur. Per ſecretum conſilium nunc aguntur omnia.

Vtinam Grynaei feliciſſimum ingenium manſiſſet integrum liberalibus ſtudiis! Nam audio, illum ſuffectum in demortui Oecolampadii vicem.

Nos adhuc tuſſimus, ſed paulo mitius. Expectandus eſt hyemis finis. Opto te cum omnibus tibi charis quam optime valere. Friburgi. Nono die Febr. 1532.

Eraſmus Rot. tuus.

Epiſt. LXXII.

S. p. Nae tu ὑπερβολικῶς candidus es, Vir egregie, qui quum omnia laeta magis cupias eſſe amicorum quam tua, tamen ſi quid acerbius accidit, celas amicos, quum recte dictum ſit et illud: κοινὰ τῶν φίλων ἄχη. Non dubito quin vehementer diſcruciet animum tuum filiolae deſiderium, quam ſic adamabas, ſic in deliciis habebas. Sed homo iure conſultus, qui alios doces Caeſarum parere legibus, aequo animo parere

debes naturae legibus, quae ducunt volentem, nolentem trahunt. Quantumuis autem exaggeres hoc damnum, tamen negare non potes, esse reparabile, modo tu cum vxore sis incolumis. Quid si tibi pro filiola Deus reddat filiolum haeredem non tantum facultatum, verum etiam istius eruditionis eximiae, cum omni virtutum genere coniunctae? Neque enim necesse est, opinor, vt me admonitore discas, nihil esse diligendum immodice, ne dolor erepti succedat immodicus. Scis, quid optimo viro fratri tuo Brunoni acciderit. Quid quod Deus interdum ob hoc ipsum eripit nobis quod habemus, quod praeter modum amamus, et fingimus esse proprium ac perpetuum, quod est commodatitium ac temporarium. Dicas in rebus humanis et hic esse Nemesim quamdam. Tuus morbus, de quo fero sum admonitus, me magnopere sollicitum habuit, nec eam sollicitudinem adhuc ex animo possum extundere, nisi tuis litteris factus fuero certior.

Poſt triduum mittam iſthuc proprium famulum, per quem poteris tuo commodo quae voles ſcribere. Nuper miſi litteras Sadoleti, nunc mitto tres faſciculos Epiſtolarum ex Italia, ni fallor, datos. Ad me peruenerunt ex Auguſta Vindelicorum. Baſilio, vxori ceteriſque tibi chariſſimis ſalutem plurimam. Bene vale. Friburgi. 4. die Iulii 1532.

Eraſmus Rot. tuus.

Epiſt. LXXIII.

S. p. Ex epiſtolis quas ad te nuper miſi, puto te ſcire, quo in ſtatu res ſint Alciati. Peſtis exigit illum rurſus e Biturigia, et ambit conduci Patauium. Epiſtolam meam Sadoletus acceperat ſine libris. Poſt ſcripſit et libros fuiſſe redditos.

Sollicitus expecto quomodo valeas; adeo metuo iſtam immodicam philoſtorgiam.

Per hunc famulum meum potes reſcribere, ſi commodum eſt. Heruagius a me

discessit iratus. Ad te deferetur querimonia. Sed rem accipe. Praesente Episcopio egit mecum, vt praefarer in Demosthenem. Respondi, me in hoc nimium indulsisse typographis, posthac nolle prostituere nomen meum simili modo. Ille instabat. Pernegaui. Interim Episcopius petiit Epistolam ad Goclenium de Ammiano. Dum hanc scribo, Heruagius obturbat, oro te, oro te. Iussi illum valere, addens: Scis mentem meam; quid opus est pluribus verbis? Abiit. Nam comites illorum vrgebant. Misi post famulum, qui mitigaret responsum, diceretque me de praefatione deliberaturum. Ibi stomachum suum effudit in sinum famuli; se huc venisse te autore, vt de multis mecum communicaret. At satis diu sumus confabulati, quum ille tantum de praefatione loqueretur, de qua numquam cogitaram. Nam de aliis quibusdam illi scripseram. Et si volebat mecum colloqui, non poteram simul et epistolam scribere, et cum illo confabulari. Quodsi serio iratus est, facile feram, modo ne

posthac mihi obturbet. Bene vale cum tibi chariſſimis. Frib. 8. die Iulii. 1532.

Agnoſcis tuum.

Epiſt. LXXIV.

S. Rurſum miſi famulum meum, vt certo gaudeam te conualuiſſe, adhuc enim anxius & anceps ſum animi. Τὰ ἐπισόλιον ἐνθάδε ἐγκεκλεισμένον διὰ τοῦ οἰκέτου σου λάθρα πέμψεις τῷ ἱερονύμῳ Φροβενίῳ, ſed χωρὶς admonito, ὡς μόνος ἀναγινώσκῃ, ἵνα μὴ ὁ ὗτος ἐμὸς παιμιχρὸς αἰσθαίνοιτο. Bene vale. Poſtrid. Cal. Aug. 1532.

Epiſt. LXXV.

S. p. Admonueram Grynaeum proximis litteris de quodam loco apud Platonem, ipſum tamen excuſans, quod editionem Aldinam eſſet ſequutus. Ille nihil ad id reſpondit, ſed miſit Epiſtolam ſupercilioſam et acidam, in qua exprobrat mihi decadem ſuam. Qui poſſet eſſe tam irritabilis, ſi eſſet animo in me defaecato?

Semel atque iterum te autore depoſui ſuſpitionem; poſthac opinor eſſe ſatius, illum ſuo ingenio relinquere. Aut me fallunt omnia, aut ſub illa perſona probitatis latet animus inſigniter ἀλαζών. Miſi ad illum etiam tuam ſchedam, in qua notaras quaedam ad prouerbia facientia. Eam ab illo repetes; perinde ſcribit, quaſi ſine alienis praeſidiis non poſſem opus meum abſoluere. Bene vale, Bonifaci chariſſime. Prid. Andreae. 1532.

Agnoſcis tuum.

Epiſt. LXXVI.

S. p. Improbis iuxta prouerbium praeter occaſionem nihil deeſt. Tibi ad benefaciendum omnis arripitur occaſio. Animus tuus iam olim perſpectiſſimus erat, et cum ſtrenula et ſine ſtrenula. Res nulla egebat celeritate. Poteras Hieronymo committere. Puero qui attulit, dedi tres Batzones. Hoſpiti Anſelmi precor omnia laeta. Bene vale. 27. die Decemb. 1532.

Epist. LXXVII.

S. Quum totam hyemem sat commode valuissem, Martius misit prodromos suos, et immisit in pedem sinistrum cruciatum adeo perpetuum et crudelem, vt per eum nec dormire nec edere liceat. Expertus eram hoc malum semel atque iterum, sed post triduum abibat, nec vltra pedem proferebatur. Nunc totam tibiam in fer-uore occupauit. Accersiui medicum, sed his diebus numquam fuit domi.

Viglius scripsit mihi nonnihil de Cicerone; nec dubito quin idem scripserit tibi. Nihil illo iuuene candidius.

Anselmus multa scribit, quum nesciat quid sit scribere. Appellat te fratrem, homo paedagogus, perinde quasi esset Episcopus aut Cardinalis. Omnes epistolas suas explet promissis, quasi ego hic sedeam expectans polonica xenia. Datorum commemoratio, exprobrandi genus est: At toties polliceri, est nondum

data exprobrare. Verum haec aliàs. Bene vale. Prid. Cal. Martias. 1533.

Eraſmus Rot.

Epiſt. LXXVIII.

S. Mea facilitate numquam es abuſus. Sed tua bonitate quidam abuti conantur.

Illud riſi, quod Heruagio de Oratore reſpondiſti. Protinus enim venit in mentem Terentianum illud: Non iſtas quod ſciam. Poteras ſimpliciter dicere: Nihil eſt miſſum vtcumque promiſſum eſt.

Si Luſitanus tibi fuit moleſtus, doleo. Id ne eſſet, nolui hominem commendare. Quamquam videtur vir bonus nec illiberalis.

De indomito illo audies prolixam fabulam, ſed coram, quod vtinam breui tuo fiat commodo. Interim quod ſcripſi, maneat in ſinu. Cum nullo ingenio minus cupiam conflictari, quam cum illo, in quo prorſus οὐδὲν ὑγιές.

Theologus quidam e grege Nauarrae profitetur frequenti auditorio Epiſtolas Pauli, ſubinde me perſtringens, ex indoctis et rixoſis collationibus Titelmanni Franciſcani, cui pridem reſpondi breui libello, qui Antwerpiae excuſus eſt. Eum ſi potes iſthic nanciſci, rogo vt ad me mittas. Nam ipſe nullum inuenio. Bene vale. Friburgi. 5. die Maii. 1533.

Eraſmus Rot.

Epiſt. LXXIX.

S. p. Numquam fui afflictior, quam hac aeſtate. Magna mali cauſſa eſt coelum hoc ſine fine maleficum, per quod in hac vrbe aegrotant plurimi; ſed praecipua cauſſa mihi eſt inopia vini, quale hactenus habui. Belnenſe, quod poſtremo miſit Hieronymus, nonnihil cohibuit ſtomachi nauſeam, ſed eſt arte confectum. Nactus eram comites, quibus amiciores aut candidiores conuictores ne optare quidem poteram. Coactus ſum illos dimittere, quod ſtomachus ad vomitum pronus

nulla ferret colloquia. Duo Doctores, quos Alciatus mihi litteris amantiſſime ſcriptis commendarat, ſalutarunt me lecto affixum, ſic affectum, vt Epiſtolas Alciati, tuam, et Grynaei legere non potuerim. Poſtridie redierunt dicturi vale. At ne id quidem licuit per valetudinem. Atque hoc nomine magis indignor huic valetudini, quod me non tantum afflictum reddit, verum etiam inhumanum. Eodem die ſuperuenit Petrus a Montfort, iuuenis ille prodigioſae proceritatis, Hollandus, quem arbitror te vidiſſe Baſileae apud me. Is pertulit honorarium munus, quod patria mea iampridem mihi deſtinarat, qui ſi me ſtatuiſſet occidere, non poterat magis in tempore venire. Flagitabat de re magna commendatitias ad Caeſarem, ad notos et ignotos. Atque hac gratia manſit ſex totos dies. Cum hoc dum conor interdum colloqui et conuiuari, ſubinde morbum renouo. Nunc rebus omnibus omiſſis, do operam, vt me ſeruem meliori tempori. Decreueram experiri, an equitatiuncula poſſem excutere

ſtomachi faſtidium, ſed hoc coelum non inuitat, et dolor pedis identidem recrudeſcens prohibet. Rex Ferdinandus, praeter humaniſſimas litteras, miſit mihi ducentos florenos aureos, et pro Glareano, quem commendaram, quinquaginta. De tumultu, qui fuit Auguſtae in die aſcenſionis, puto te iam audiſſe. Occaſio fuit imago Chriſti, quae ſub teſtudine templi penſilis ſolet adorari. Eam ante feſtum clam ſuſtulerant atque perdiderant Zuingliani. Id odorata pars diuerſa, clam curauit fieri nouam. Hoc rurſus odorati Zuingliani, valide obturant foramen teſtudinis, per quod imago ſolet dimitti. Diuerſa pars clam vi foramen aperuit, et imaginem nouam ſuſpendit. Hinc mox atrox ſeditio, vt mirum ſit, non in eo tumultu plures homines fuiſſe necatos. Zuingliani, conſcenſa templi teſtudine, imaginem deiecerunt. Tandem et magiſtratus, miſſis ſatellitibus, excluſo populo, clauſit templum. Quidam templi procurator fuit autor tollendae imaginis, reponendae fuit anteſignanus Antonius Fug-

gerus, qui nunc eſt reus excitatae ſeditionis. Hac in parte deſidero in Antonio prudentiam. Cedendum erat illi procellae. Nec tanti erat illud ſimulacrum. Haud ſcio, an Mariangelus Antonium ad hoc facinus armarit.

Nunc intellige, cur Luſcinius meam redierit in gratiam. Reſignauit cuidam praebendam, hac lege, vt Fuggerus quotannis numeraret ipſi 80. florenos aureos, donec procuraſſet ſacerdotium eiuſdem cenſus aut maioris. Verum vbi Fuggerus ex Cholero cognouiſſet, hunc mihi eſſe inimicum, videbatur contracturus benignitatem ſuam, certe eum ſcrupulum illi iniecerat Cholerus. Hoc metuens Luſcinius, finxit reditum in gratiam. Mirabar ſubitam mutationem. Sed ſub feſtum aſcenſionis Luſcinius per litteras magna inſtantia petiit a me, vt mea illa eloquentia ſe Antonio Fuggero commendarem. Se non eſſe nunc alium, quam fuit olim, quum Fuggerus ipſum ſua benignitate dignum iudicaret. Hoc ſane verum dixit,

nisi quod addendum erat: errans iudicaret. Quid facerem? Negarem officium reconciliato? Scripsi, sed colore rhetorico. Ille iactauit nostram amicitiam, multa amanter de me praedicauit, se purgauit, addebat, Erasmum optime valere. Quid multis? Impetrauit quod voluit. Numquam tamen me inuisit; per litteras et famulum agit, si quid vult. Pelargus nec visit, nec scribit, vt intelligas rem de composito geri.

Venditur isthic commentarius nouus Philippi Melanchthonis in Epistolam ad Romanos, in quo sibi placet, et multa praeclare dicta fateor, sed in multis displicet. Torquet multa, arroganter reiicit Origenem et Augustinum; non pauca transilit. Legi quaterniones aliquot. Videtur fuisse nactus opus aliquod Theologi scholastici, cuius argumentum. Paruo emitur. Non esset ingratum, si mitteres Sadoleto, sed admonito, vt aurum legat e stercore.

Si Hieronymus esset aditurus nundinas Argentinenses, committerem illi, vt acci-

peret pecuniam illic a menſariis, quam Rex donauit.

Hic nulla ſunt amygdala niſi minuta, immatura et putria; gratum fuerit, ſi Hieronymus mitteret huc aliquot libras. Hanc Epiſtolam, ſi videtur, poteris illi communicare. Bene vale, amice incomparabilis. Friburgi. feſto corporis dominici. An. 1533.

Eraſmus Rot. tuus omni iure.

Epiſt. LXXX.

S. Sum animi prorſus ancipitis. Caeſar, Regina, totaque aula reuocat me in Brabantiam, miſſo etiam viatico. Si e Neapoli mitteres bigam tectam, mox aduolarem, experturus, an corpus ferat coeli mutationem. De pretio ne labores; habeo plus ſatis pecuniarum. Velim id quamprimum fieri, nec id ſumtu tuo. Nimis impudenter vtor tua bonitate. Tu tamen equo praecede, nunciaturus bigam venturam, vt paremus lagenam vini Bur-

gundiaci. Aut ſi non eſt commodum, fac ſciam. Tempus vrget. Hodie dimiſi, qui petit Sadoletum. Videtur bonus, vel hoc argumento, quod recuſauit pecuniam. Vale. poſtrid. Iacob. 1533.

Eraſmus. a coena.

Epiſt. LXXXI.

S. De miſerrima hae valetudine nihil certi poſſum polliceri. Noctu ortus Boreas me ſubito in magnum coniecit malum. Si poteris paciſci de naui bene tecta quindecim florenis, quodſi ego ante duodecimum diem Septembris cogerer mutare ſententiam, nautae gratis acciperent tertiam nauli partem, et locarent nauem ſuam, cui vellent. Bene vale.

Eraſmus tuus infelix.

Dominica die poſt aſſumtae virginis. 1533.

Epist. LXXXII.

S. Reditum in Brabantiam distulimus in proximum ver. Ita tulit necessitas, & vt arbitror expedit. Nam mutato vino, stomachus coepit reuiuiscere, hactenus pro vino bibi venenum. Liuinus meus, qui nihil vmquam gessit ex animi mei sententia, adduxit mihi ab Episcopo duos equos, e quibus alterum eligerem. Iam accincto ad reditum nuntio mane, dixit grandaeuum claudicare. Dimisso nuntio, claudicauit et alter, qui mihi nunc est oneri. Vtinam Deus liberet me ab illo nugone!

De testamento quo magis studui me explicare, hoc magis inuoluor. Efficiam tamen, ne omnia veniant in manus praedonum, si quid mihi acciderit. Qua de re scribam tibi, si Gilbertum meum isthuc misero, quod nondum statui.

Sadoletus misit ad me proprium nuntium cum libro, quem vult a me castigari. Perlegi, et feci quod voluit. Eumdem cupit et abs te legi. Poteris degu-

ſtare et probare. Epiſtola illius ad te fuit incluſa. Nuntius putauit te hic viuere. Idem ſuſpicari videtur Sadoletus. Male audit Baſilea. Significaui tamen illi, te iſthic neceſſariis compedibus detineri, purum tamen ab omni ſectarum contagio. Hoc enim de te mihi perſuadeo.

Miror nihil mitti e Baſilea. Si libellus de Concordia eccleſiae excuſus eſt, mitte Sadoleto; ſi prope abſolutus eſt, mitte quod eſt excuſum.

Si velis nuntium iſthic retinere vnum atque alterum diem, hoc per Sadoletum licet, donec ſcribas et librum deguſtes.

Iuſſi vt hic nuncius iret per Nouumburgum, ſi forte illic eſſes, ne fruſtra ſit.

Mitto ad te Epitaphium Thomae Mori, quod affixit ſuo ſepulcro. Editurus eram cum aliquot epiſtolis, ſed Emmeus dedit verba. Id ſi voles deſcribes tibi, meum exemplar mittes Sadoleto. Id enim memini in litteris.

Lugduni Hilarius Bertulphus peſte funditus periit, hoc eſt ipſe cum vxore ac tribus liberis. Cetera ſcribam per Gilbertum meum, aut reſeruabo in colloquium. Cura vt recte valeas. Prid. Cal. Sept. 1533.

Eraſmus Rot. tuus.

Epiſt. LXXXIII.

S. Si Morellus ille eſt, qui mihi commendatus a Sadoleto vixit apud Hieronymum, oculis paetis, talibus mihi non eſt opus. Optarim aliquem germanice peritum et vtcumque latine, qui poſſet Gilberto ſuccedere, modo ne ſit huius regionis. Guſtaſſe ſemel ſat eſt. Dabitur menſis experimento; ſi alterutri non placet, dabitur viaticum redituro. Caetera coram, vt polliceris. Vale cum omnibus tibi charis. 19. die Octobr. 1533.

Eraſmus Rot. tuus.

Epist. LXXXIV.

S. Si hic Viglius offenderit te Basileae, rogo vt candorem ingenii tui, quem in omnes bonos ac doctos expromere soles, in hunc conduplices, quo nihil inueniri potest candidius. Plura non addam, ne mihi pereat hoc operae. Expectamus te ipsum. Bene vale. Basilio S. plurimam. Friburgi. 6. die Nouembr. 1533.

Erasmus Rot. tuus.

Epist. LXXXV.

S. p. Si Bonifacius recte valet, non est quod amplius ab eo requiram. Negotium hoc, in quo diu fategimus, tandem peregimus, nec est quod pedem mea caussa moueas.

Scripseras nescio quid de conditione delata, quid sit hoc, nondum intelligo.

Cupio scire, catulum an catellam tibi pepererit tua Iuno. Bene vale, amico-

rum intime. Friburgi. Natali S. Andreae. 1533.

Erasmus Rot.

Epist. LXXXVI.

S. p. Gaude, sed in sinu, ne Nemesis exaudiat. Infantulum committe Deo et matri. Raro viuunt pueri, qui tenere amantur a parentibus; et apud nos vulgo matrum persuasum est, intentos patris in infantes oculos, effascinationis habere vim. Expectabimus te in feriis, vtinam cum Viglio.

De Alciato valde gaudeo. Ego in his nebulis vix vitam tueor. Vale cum tibi charissimis. 10. die Decembr. 1533.

Erasmus Rot. tuus.

Epist. LXXXVII.

S. De valetudine viderit Dominus. De offensione, omitte quaeso ἀνεμώλια. Citius ipse mihi diffiderem quam tibi. Sunt quae

in tuum aduentum differo. Cruciatus absunt, stomachus languet. Hoc nouum non est. Damianus isthic adest. Caetera coram. Vale, mox a prandio. XI. April. An. 1534.

Erasmus vere tuus.

Signum epistolae tuae erat mixtum ex cera rubra et viridi. Hoc an abs te factum sit, scire cupio.

Epist. LXXXVIII.

S. p. Misere metuo, ne mea simplicitas in admonendo alienarit animum Sadoleti. Rogo vt cures meam epistolam ad illum perferendam. Opinor Episcopium proficisci Lugdunum, inde per Gryphum transmitti poterit. Vale. Reliqua coram. Natali Marci. 1534.

Agnoscis tuum.

Epist. LXXXIX.

Quamquam non sum Κρόνος, tamen hoc quoque saxum possem concoquere, nisi

monſtrum illud hic reliquiſſet oua viperina, breui ad veterem tragoediam redirum. Quid autem facias illi, cui neque pudor eſt, nec humanitas, nec iudicium, breuiter, nihil hominis. Iam infecerat domum meam, antequam quidquam de eo ſuſpicarer. Idem propemodum mihi vſu venit in Carino. Erat ὁμοτράπεζος, putabam amicum, et alebam virulentiſſimum obtrectatorem. Id poſtea cognoui ex Taleſio famulo, licet ſero, vt fere pater familias dedecus domus reſciſcit vltimus.

Vtinam hoc optimo ſeni perſuaderi poſſit, vt quod ſupereſt aetatis, tranquille degat! ad eam rem adhibendus eſſet Prior Cartuſianus.

Non placet, quod decreſcit ſalarii modus. Videntur enim frigere. Prius ampliorem ſpem oſtendebant. Praeter periculum mutati coeli, magnis impendiis conſtabit migratio. Noua domus &c. Sed tua Pallas tibi ſuggeret optimum conſilium. Vale. Friburgi. 14. die Iunii. 1534.

Eraſmus Rot. tuus.

Epist. XC.

Pro curata epistola habeo gratiam. Dies iam aliquot valeo commodius, sed alor in nouos cruciatus. Propemodum ausurus eram me itineri committere, nisi Bellona nihil vsquam pateretur esse tutum. Quod si Carolus et Ferdinandus expedient vires suas, multo peius erit mihi meique similibus. Me sic tractatum ab illo monstro, de quo tibi narraui coram, vix possum concoquere. Et indies vincit se ipsum. Suspicor illum subornatum ab haereticis, vt se insinuaret in domesticam familiaritatem, quo rimaretur omnia arcana, quibus armatus me perderet. Perueni ad annum septuagesimum; talis contumelia numquam mihi accidit antehac, neque vmquam vsu venit, vt cum tali monstro conflictarer. Opus est illi exorcista.

Si is essem qui tu, suaderem socero, vt si haberet in animo vxorem ducere, hanc duceret, vnde suscepit filium, moderatis sponsaliorum conditionibus. Sin minus, ob prolem hanc non duceret, sed

a negotio ſeſe explicaret. Bene vale. Baſilio Medico S. p. Tibi chariſſimis ceteris precor omnia proſpera. Friburgi. Feſto corporis dominici. 1534.

Eraſmus Rot. tuus quantus eſt.

Epiſt. XCI.

S. Parum laeta, ſed tamen grata nuncias. Auebam ſcire, quid meo Clantho accidiſſet, de quo nihil boni mihi praeſagiit animus, quod me inſalutato hinc diſceſſit, ne pilo quidem hic relicto, quaſi numquam huc rediturus. De epiſtolis ad Sadoletum et Alciatum bene curatis habeo gratiam. Tametſi plane ſuſpicor Sadoletum a nobis alienatum officio, quo debebat nobis reddi amicior. Quereris quod non reſpondeam litteris tuis. Quis ad iſtiuſmodi nugas reſpondeat? Agis gratias pro communicato vnius noctis hoſpitio, pro neſcio quibus magnis meis in te meritis. Aliud argumentum inueni, ſi expectas reſponſum. Vale cum omnibus tibi charis. 28. die Nouembr. 1534.

Eraſmus Rot. tuus.

Epist. XCII.

S. p. Vnde tu cognoris prosperam valetudinem meam, nescio. Mihi certe nondum liquet, vtrum inter viuos, an inter mortuos sim numerandus. Adeo Martius me attentat, et omnes corpusculi sinus lustrat. Instat interlunium; dein infamis illa cauda Martii, quam vereor, ne in medium Aprilis porrigat. De me viderit Deus, tibi res esse ex sententia, gaudeo.

Oro, vt, si qua poteris occasione, litteras meas ad Sadoletum perferendas cures, simulque adiungas Symbolum meum, octo homilias a me versas, ac totidem a Brixiano. Si non continget, qui volet librorum sarcinam suscipere, mitte nudam Epistolam, quae libellos promittit sub conditione, si contingat, qui non recuset sarcinulas.

Heruagio excusaui me, sed blande. Ita certum est posthac facere omnibus, δωλείας ἄλις. Gratulor inclytae Academiae vestrae accessione noui Doctoris Brunsfeldii feliciter auctae. Sed audi quod rideas.

Fasciculo cuidam Epistolarum ad me admixta erat Epistola duplici cera obsignata. Videbatur alia esse intus. Titulus erat ambitiosus: Inclyto Viro, sed re maiori, Simoni Grynaeo, Platonicae et Aristotelicae Philosophiae Professori &c. Manum videbar vidisse, sed non agnoui, eoque minus suspicabar rem, quod adiuncta esset Epistola iis quae missae fuerant ex Italia. Mirabar et illic esse repertos Grynaei admiratores. Misi Grynaeo Epistolam obuolutam tunica mea, in qua scripseram, me meliore fide eam Epistolam ad illum mittere, quam Euangelici quidam tractarent meas litteras. Ille continuo putans se petitum, cum stomacho respondit, se optare, vt si quid vellem expostulare, simpliciter aperirem, quid me offenderet; et sorex suo se prodens indicio, narrat, inclusam fuisse Epistolam ad me, Carini, sed per illum sibi liberum fuisse factum, vtrum putaret igni tradendam, an mihi reddendam; se vero tradidisse igni, quod exordium esset blandum, sed in medio pus veteris maleuo-

lentiae. Vide ingenium illud impotens, nulla vindicta ſatiabile. Cetera coram, vt ſpero in Aprili. Opto te quam optime valere. Friburgi. XI. Cal. April. 1535.

Litterae hoſpitis Anſelmi, quas miſerat Iacobo quondam meo κλέπτῃ, diutius apud me haeſerunt, quod nullus obtingeret, cui committerem.

Eraſmus Rot. tuus.

Sed pridem per certum hominem miſi ad Ioannem Paumgartnerum. Is omnia curabit diligentiſſime. Quod illi ſignifices oro, quum erit commodum, addaſque meo nomine ſalutem.

Heruagius nihil agit. Appellor ab Epiſcopis de ratione concionandi, deque aliis. Vix tueor valetudinem, et tot iam annis nullas mihi ferias dedi. Subornant te patronum, cui vni ſciunt me nihil poſſe negare. Sic Obperus per te extorſit litteras in Angliam. At is reſedit Antwerpiae ſupra menſem, diutius manſurus, ſi in-

ueniſſet fatuos. In Anglia decepit eos, quibus fuerat commendatus. Permittam tibi pro Heruagio rogare, modo mihi condones, quod illi pernego. Praefari in tam nobilem autorem, in quo non fecerim operae pretium, mihi turpe fuerit et inuidioſum, iuſtam autem curam impendere, etiamſi maxime cupiam, non poſſim. Rurſum vale.

Decimo die Aprilis.

Epiſt. XCIII.

Exemplar Epiſtolae D. Eraſmi ad Iac. Sadoletum pro Dno Bonifacio Amerbach.

S. P. Tam diutinum ſilentium tuum varie ſollicitauit animum meum: Primum ſubuerebar, ne in conuentu Maſſilienſi nonnihil aduerſae valetudinis contraxiſſes, homo vt audio parciſſimi victus, alioqui et ad ſenium vergente corpore. Pulſabat interdum animum meum nonnullus metus, ne qua occaſione vetus illa tua in me beneuolentia refrixiſſet. Tametſi

ſuſpicionem hanc vt ipſe grauatim admittebam, ita Bonifacius conſtanter negabat eam haerere in virum incredibili candore ſingularique conſtantia. Excutiebam tamen me ipſum, ſi fors imprudens commeruiſſem, vt alius in me eſſes, quam antea fueras. Videbam quam eſſet impudens, ab Eraſmo admoneri Sadoletum, hoc eſt, a ſue, quod aiunt, Mineruam. Verum ad hoc audaciae tua me perpulit autoritas, vt etiamſi parum dextre fuiſſem meo functus officio, tamen aequum erat probare obſequium, et in meo errato tibi ipſi ignoſcere. Admonui pro meo ingenio ſimpliciter, nec, vt opinor, procaciter, qui totius iudicii mei te rurſus iudicem fecerim. Ad haec, etiam ſi quid ibi familiarius dictum fuit, aut excidit potius, quam decuit, quoniam praeter te et me nullus mortalium ſchedas eas vidit, ne Bonifacius quidem, ſperabam, tuam aequitatem perinde habituram, ac ſi nihil ſcriptum fuiſſet. Qua quidem in ſpe ſum et hodie. Miſeram Commentarios Melanchthonis, non vt illos imi-

tareris. Nec enim alibi magis torquet ſcripturam, vtcumque miram profeſſus ſimplicitatem; ſed quum illic commemorantur variae multorum opiniones, ſciebam tuam prudentiam illinc excerpturam, quod ad mentis Paulinae faceret cognitionem. Sapiens enim qualicumque data occaſione fit ſapientior, vt habent hebraeorum prouerbia. Interdum veniebat in mentem, quantum valeant malae linguae, quibus hoc ſaeculo videmus prodigioſam eſſe licentiam. Huiuſmodi cogitationibus me torſit hactenus litterarum tuarum intermiſſió. Ea moleſtia ſi me leuare dignaberis, rem feceris vt tua dignam humanitate, et mihi ſummopere gratam. Bene vale. Apud Friburgum Briſgoiae. pridie Cal. Nouembris. M. D. XXXIIII.

Eraſ. Rot.

S. P. Dominus meus mihi mandauit, vt has tres epiſtolas ad te mitterem, vt tu eas, vbi primum dabitur certus nuncius ad illos, quibus inſcriptae ſunt, tranſmittas. Nouarum n. rerum quod nunc

ad te ſcriberem, nil habui aliud, quam quod Cardinalis Farneſius, cui nomen Paulo Tertio, XII. Octobris Romae in ſummum Pontificem eſt electus. Dicitur eſſe nobilis, doctus et doctorum hominum amans, moribus ſobriis ac philoſophicis. Italus eſt, et ſcribunt eum Gallis fauere. Porro Aleiſius Gritti, qui Turcae nomine pacis feriendae gratia in Vngariam venerat, ſcribitur a Zeckleris atque Vngaris captus et decollatus eſſe. Quid autem ob id Turca contra Chriſtianos moliturus ſit, Deus nouit. Bene vale. Datum plus quam ex tempore, quarto die Nouembr. 1534.

Tibi totus deuotus
Gilbertus Cognatus.

D. Eraſmo per Chiragram non licuit ſcribere.

Epiſt. XCIV.

Iacobus Sadoletus omni doctrina ac pietate ornatiſſimo Viro D. Eraſmo Rot.

Accepi tuas litteras IIII. Nouembris datas, quae

quae me maximo dolore affeciſſent propter tuam de mea erga te mutata voluntate ſuſpicionem, niſi diuino quodam beneficio mihi contigiſſet, vt paucis ego horis litteras ad te antea dediſſem plenas veriſſimi amoris, vt conſcius mihi ſum, neque tamen tanti, quantus meus erga te in omnibus meis ſenſibus incluſus eſt atque inhaeret: Tu vero vt metueres, ne illo officio ſcripta mea corrigendi me laeſiſſes, in quo tibi a me par ne haberi quidem poteſt gratia? Noli obſecro, mi Eraſme, me ex eo genere hominum ducere, qui ſe caſtigari et admoneri aegre ferant: Nullum eſt obſequium, quod mihi praeſtari poſſit gratius. Vtinam vero tu ſemper mihi praeſens et corrector adeſſes et magiſter. Nulla eſt felicitas tanta, quam huic anteponerem. Quodſi illa ſanctitas amicitiae, quae inter probos maxime viget, noſtros vtriuſque animos fideli vinculo aſtrinxit, ne vmquam deſiſte quaeſo me et monere et reprehendere, vbi videris eſſe opus, quod ſi viueremus vna, crebrius vſu veniret vt eſſet faciendum,

quam tu fortaſſe arbitrareris. Sed tamen vt etiam abſens id efficias, habes commentarios meos in vulgus nunc editos, qui tuum acre iudicium expectant, non cum timore, ſed cum ſpe, melius euenturum et ſibi et mihi, ſiquidem quod in his recte reprehenſum fuerit, alibi integrius et incorruptius reponetur. Ego quod tamdiu ad te litteras nullas dederam, factum erat occupationibus meis et nouitatibus horum temporum, quae inexpectatae et variae nos quoque ipſos nonnihil attigerant; Deinde etiam eo, quod te in Belgas tuos non equidem certum habebam, ſed tamen verebar profectum eſſe. Recordabar enim, te ad me ſcripſiſſe, profectionem illam a te in proximum ver differri, quod tempus iam nouem fere menſibus tranſactum eſt. Sed ſiue ego ſcribam, ſiue non ſcribam, illud tibi volo eſſe perſuaſiſſimum, cum plurimos tui obſeruantes, curioſos, amanteſque habeas, nemini omnino eorum me cedere, potiuſque affirmare audere, nulli tam charam eſſe ſalutem et exiſtimationem tuam, quam ea eſt mihi. Quodque

aliàs tibi indicaſſe me memini, me, etſi viuam tenuibus fortunis, tum cupere te mecum omnium meorum eſſe participem, id et nunc renouo dictum, et pro iure amicitiae noſtrae te obteſtor, vt nihil meum eſſe ſtatuas, quod non eodem modo tuum ſit, et ſi quid adiici poteſt etiam efficacius et peculiarius tuum: Quod ſi experiri opera inſtitueris, maxime tuum amorem in ea re mihi oſtendes. Amerbachium noſtrum cupio valere, cui tu plurimam meis verbis mittes ſalutem. Vale, mi doctiſſime et optime Eraſme, et de tuo confirmato in recta opinione de me animo primo quoque tempore me certiorem fac, vt quam ex tuis litteris moleſtiam accepi, eam quamprimum ex meo animo excutiam. Iterum vale. v. Idus Decembris. MDXXXIIII. Carpentoracti.

Tui amantiſſimus Iacobus Sadoletus, Carpent.

III.

LEO. P P. X.

Dilecte fili ſalutem et apoſtolicam benedictionem. Vite ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, ſuper quibus apud nos fidedigno commendaris teſtimonio nos inducunt, vt te ſpecialibus fauoribus et gratiis proſequamur. Hinc eſt quod nos volentes te, pro quo chariſſimus in Chriſto filius noſter Henricus VIII. Angliae rex illuſtris tanquam ſibi grato et accepto humiliter ſupplicauit, fauore proſequi gratioſo; ac a quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, et interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris et poenis a iure vel ab homine quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum praeſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, et abſolutum fore cenſentes; tecum, vt

quecunque, quotcunque, et qualiacunque cum cura et ſine cura beneficia eccleſiaſtica aut ſi duae parrochiales eccleſiae, vel earum perpetuae vicariae, cantorie, libere capellae, hoſpitalia, vel annalia ſeruitia clericis ſecularibus in titulum perpetui beneficii eccleſiaſtici aſſignari ſolita, aut dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia in cathedralibus aut metropolitanis vel collegiatis eccleſiis aut maiores et principales ac curata et electiua fuerint, ſi tibi alias canonice conferantur, aut eligaris, preſenteris, vel alias aſſumaris ad illa, et inſtituaris in eis, recipere, et incompatibilia inſimul quoad vixeris, retinere, illaque ſimul vel ſucceſſiue, ſimpliciter, vel ex cauſa permutationis quotiens tibi placuerit, dimittere, et loco dimiſſi vel dimiſſorum, aliud vel alia ſimile vel diſſimile, aut ſimilia vel diſſimilia, beneficium ſeu beneficia, eccleſiaſticum vel eccleſiaſtica, quecunque quotcunque et qualiacunque fuerint, vſque ad ſummam mille ducatorum auri de Camera, dummodo inter incompatibilia vltra

quam duae parrochiales ecclesiae vel earum perpetuae vicariae non existant, similiter recipere, et insimul quoad vixeris, retinere, libere et licite valeas; Generalis Concilii, nec non quibusuis aliis apostolicis, ac bonae memoriae Otthonis et Otthoboni olim in regno Angliae apostolicae sedis Legatorum, ac in prouincialibus et sinodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et ordinationibus, statutis quoque et consuetudinibus ecclesiarum, in quibus incompatibilia beneficia huiusmodi forsan fuerint, iuramento confirmatione apostolica vel quauis firmitate alia roboratis, caeterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica, tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus: Prouiso quod incompatibilia beneficia huiusmodi debitis propterea non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis, si qua illis immineat, nullatenus negligatur. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo pisca-

toris die. XXVI. Ianuarii. MDXVII. Pontificatus noſtri anno quarto.

Inſcriptio litterarum:

Dilecto filio Eraſmo Rogerii Roterodamen. Clerico Traiecten. dioceſis.

Ia. Sadoletus.

IV.

PAVLVS. P P. III.

Chariſſima in Chriſto filia noſtra, ſalutem et apoſtolicam benedictionem: Contulimus nuper dilecto filio Deſiderio Eraſmo Roterodamo ob eius celebrem doctrinam et ſingulares virtutes Prepoſituram Dauantrienſem tunc per obitum quondam Ioannis Ingenwinkel, apud ſedem apoſtolicam defuncti vacantem et in tuae Maieſtatis Gubernio exiſtentem, non ſolum iure noſtro quod in hoc perſpicuum eſt vtentes, verum et ſpe firma ducti tuam Serenitatem hanc noſtram gratiam in talem

virum a quo ista Natio Germanica tantum recipit ornamentum collatam suo fauore prosecuturam et gratam habituram. Proinde hortamur Maiestatem tuam in Domino et studiose requirimus, vt pro tua erga hanc sanctam sedem filiali obseruantia, et regia in viros benemeritos benignitate dictae Praepositurae possessionem vacuam ab intrusis pro dicto Erasmo conseruari, eique cum literas nostras sub plumbo praesentari fecerit aut procuratori eius consignari facere velis. Quod et si ex vacatione apud sedem et obitum familiaris nostri ipso iure est debitum, tamen ob desyderium quo ipsi Erasmo benefacere et gratificari tenemur, erit nobis a tua Serenitate admodum gratum et acceptum. Datum Romae apud Sanctum Marcum sub annulo piscatoris, die v. Augusti M. D. XXXV. Pontificatus nostri anno primo.

Blosius.

Inscriptio epistolae:

Chariſſimae in Christo filiae nostrae Mariae viduae reginae Vngariae Flandriae gubernatrici.

V.

TESTAMENTVM
D. ERASMI ROT.

ex autographò eius in Bibliotheca publica academiae Basil. seruato transscriptum.

In nomine Sanctae Trinitatis.

Desiderius Erasmus Roterodamus, fretus Diplomatibus Caesaris, summi Pontificis, ac magnifici Magistratus inclytae ciuitatis Basilienssis, hoc meo Chirographo renouo supremam voluntatem meam, quam quocunque titulo firmam ac ratam haberi volo, irritum vero si quid aliàs testatus sum.

Principio certus me nullum habere Legitimum haeredem, praestantissimum Virum D. Bonifacium Amerbachium, omnium facultatum mearum haeredem instituo, exequutores vero Hieronymum Frobenium et Nicolaum Episcopium.

Bibliothecam meam iam pridem vendidi D. Ioanni a Lasko polono iuxta fyngrapham super hoc contractu inter nos confectam. Non tradentur libri, nisi haeredi numeret ducentos florenos. Quod si ille pactum remiserit, aut me prior e vita excesserit, liberum esto haeredi de libris statuere, quod velit.

D. Lodouico Bero, lego horologium aureum. Beato Renano cochleare aureum cum fuscinula aurea. M. Petro Veterio centum quinquaginta coronatos aureos. Tantumdem Philippo Montano. Lamberto Famulo, si mihi morienti adfuerit, ducentos florenos aureos, nisi ego viuus ei hanc summam numeraro. D. Ioanni Brisgoo lagenam argenteam. D. Paulo Voltzio florenos aureos centum. Sigismundo Gelenio ducatos centum et quinquaginta. Ioanni Erasmio Frobenio duos annulos, quorum alter non habet gemmam, alter gemmam subuiridem, Gallis dictam Turcois. Hieronymo Frobenio lego omnes vestes meas omnemque supellectilem

laneam, lineam et ligneam, praeterea poculum, quod habet insignia Cardinalis Mogontini. Vxori eius annulum, qui habet imaginem mulieris in tergum respicientis. Nicolao Episcopio poculum cum operculo, quod in pede habet versiculos insculptos. Iustinae vxori eius duos annulos, quorum alter habet adamantem, alter Turcois minorem. M. Conrado Goclenio poculum argenteum, quod in summo habet imaginem fortunae. Si quis legatariorum interciderit, quod legatum erat, in haeredis arbitrio esto.

Haeres praeter ea, quae ipsi per Syngrapham designaui, sibi accipiet, quicquid superfuerit poculorum, aut annulorum, aut rerum similium, adhaec nomismata insignia, vt lusitanos cruciatos, Regis poloniae ac Seuerini Boneri faciem exprimentia, aliaque his similia. Praeterea ducatos omnes duplices et quadruplices. Pecuniam apud Conradum Goclenium depositam, illi in Brabantia dispensandam relinquet, quemadmodum ei mandaui. Si

quid apud Eraſmum Schetum erit reliquum, ab eo repetet. Eamque pecuniam ac reliquam omnem, quae ſuperfuerit, ſuo arbitrio et ex conſilio exequutorum diſtribuet in vſus pauperum, aetate aut valetudine infirmorum. Item in puellas nupturas, in adoleſcentes bonae ſpei, breuiter, quoſcumque ſubſidio dignos iudicarint.

Hanc extremam voluntatem meam, quo plenior ſit fides, propria manu deſcripſi, ac peculiare annuli mei ſigillum Terminum affixi Baſileae in aedibus Hieronymi Frobenii duodecimo die Februarii anno a natali dominico Milleſimo quingenteſimo triceſimo ſexto.

(L. S.)

Teſtimonium Notarii publici de authentia Teſtamenti Eraſmi Roterodami.

Anno a Chriſto nato Milleſimo, quingenteſimo, trigeſimo ſexto, indictione nona, die decima quarta Februarii, hora quaſi tercia pomeridiana, in aedibus honeſti

et circumſpecti Domini Ieronymi Frobenii Typographi et ciuis Baſilienſis, inque ſuperiori aula eiuſdem domus, conſtitutus coram me Notario publico et fide dignis teſtibus ſubſcriptis, Clariſſimus et omnium eruditiſſimus vir, Dominus Deſiderius Eraſmus Roterodamus, licet corpore non admodum firmo, ſanus tamen mente, hanc chartam clauſam in manu habens, in qua dicebat vltimam ſuam voluntatem ſua manu conſcriptam contineri, quam iure teſtamenti, vel codicillorum, donacionis cauſa mortis, vel cuiuſcunque alterius voluntatis, omni meliori via, modo, et forma, quo efficacius poſſet, valere volebat, haeredem nominans et inſtituens ornatiſſimum dominum Bonifacium Amerbachium legum doctorem, executores vero egregios viros, dominum Ieronymum Frobenium, et Nicolaum Epiſcopium Typographos et ciues Baſilienſes, qui omnes praeſentes, munera iniuncta, beneuole acceptantes, ſeſe ea omnia et ſingula, in praeſenti charta contenta, bona fide obſeruaturos et exequuturos, ſancte promittebant †. Et cum in

praedictorum fidem, meam, tamquam publici Notarii atteſtacionem et ſubſcriptionem requireret, veritati teſtimonium perhibiturus, ſubſcripſi. Acta ſunt haec Anno Domini, indictione, die, hora, loco, et aliis praeſcriptis. Regnante inuictiſſimo Carolo quinto, Romanorum Imperatore ſemper Auguſto &c. Anno Imperii ſedecimo. Praeſentibus eximiis et eruditis viris, Domino Ieronymo Frobenio, Nicolao Epiſcopio, Sigiſmundo Gelenio, et Lamberto Coomanno, teſtibus ad praemiſſa ſpecialiter vocatis et rogatis.

Adelberus Salandronius, vulgo Saltzmann, ſacris Apoſtolica et Imperiali auctoritatibus Notarius iuratus haec audiuit, et ſuapte manu ſſst.

† (a) Praeterea tametſi Iuris communis ſit, vt poſteriore teſtamento perfecto priora tollantur, tamen ſi et in quantum opus eſt reuocatione, ſi quae ante a ſe quomodocunque vel quandocunque conſcripta ſunt, vigore, non ſolum iuris communis, ſed et diplomatum a Pontifice, Caeſare,

ac Magiſtratu Baſilienſi conceſſorum, ſic omnia et ſingula, vt hac ſcheda continentur, vel renouata vel mutata volens, et ſi quae aliter conſtituiſſet, conceptis verbis reuocans. In hac ſcheda, ſua manu ſcripta et ſigillo ſubſignata, ſuam vltimam voluntatem contineri dicens, quam in vim vltimae voluntatis qualiſcunque, aut ſi ſic ſubſiſtere non poſſet, in vim donacionis etiam inter viuos mediante inſinuacione et tradicione factae, qualitercumque et quomodocumque, omni meliori modo, via, forma, vt ſupra, valere, et inuiolabiliter obſeruari vult, teſtibus, vt ſupra, praedictis.

A. Saltzmann, Not.

(a) Quae ſigno † notata ſunt, in exemplo MS. a latere fuere poſita.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Erasmus, Desiderius,

Epistolae familiares

Basilea 1779
Epist. 257
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10402761-1
VD18 10242589-007